



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

adstantibus sibi imperavit, vt cum psallentibus iunctis psallerent vocibus. Quinam sint illi, inquit, nos nescimus: tu verò, cui olim, vt credimus, ianua vitæ patet æternæ, optime id nôsti. Ille verò iucundo adpectu lætabatur in Domino, gratias agens Deo, quòd celi ianuam ipsi referasset. O virum omni laude dignissimum, in cuius trāsitu celestis exultat chorus, omniumque virtutum supernarum gratulatur exercitus: cui celi ianua patescit, & Abrahæ sinus lætantem excipit. Multitudo proindè monachorum, quorum erat numerus fermè trecentorū, in tanti patris transitu diuinas laudes decantaturus aderat: hilaris quidem pro gloria, quam spera Aegyptia seruitute, olim adibat promissam: sed graui affecta mœrore, quòd præclaro destituebatur patrone.

Hæc discipulorum caterua vallatus, salutiferæ Crucis signo se muniens, vndecimo Calendas Augusti nexibus terrenæ corruptionis absolutus, animã cælo reddidit, confortijs iustorum sociandam, & æternæ felicitatis gloria fruituram. Illic nunc chorus interest angelorum, hæc fulget claritate virtutum: Illic interpellat pro famulis voce supplici, hæc eos virtute tuetur sublimi: Illic petit, hæc præstat: Illic vota fundit, hæc votis respondet. Interfuit autem in hoc eius sancto transitu in clytus ecclesiæ Rothomagensis pontifex Audoënus. Sepultus est primùm in ecclesia beati Pauli Apostoli, in qua requieuit annis 40. Postea autem à sancto Baïno Episcopo vrbs Taruana, & Fontanellenis cœnobij abbate translatus est in Ecclesiam beati Petri Apostoli: atque ita integer ab omni corruptione cum vestimentis, quibus indutus fuerat, repertus est, quasi eodem die fuisset sepultura traditus. Actum est hoc anno Dominicæ incarnationis 729. regnante Domino nostro Iesu Christo, cuius potestas & imperium permanent in secula seculorum.

Cap. 27.
Signo Crucis se munit dum excedit è vita:

Trāslatum est eius corpus à Baïno Episcopo Taruana.

Requieuit sanè venerandus, & cum omni magnificentia nominandus beatissimus Pater & sacerdos Domini Vuandregisilus, anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione octaua, anno nono pontificatus Vitaliani Pape, porrò tertij Clotarij anno regni vndecimo. Peregit autem felici & gloriosa consummatione cursum præsentis vitæ annis circiter nonaginta sex: è quibus in sacro regimine expleuit decem & nouem annos, menses quatuor, dies viginti & vnum. Sepultusque fuit in ecclesia S. Pauli annis quadraginta. Sanctus verò Præsul Ansbertus, annis vndecim: in clytusque pontifex Vulfrannus, annis fermè nouem.

DE S. APOLLINARI RAVENNATVM PRIMO EPISCOPO ET MARTYRE SANCTISSIMO, EX VETV-

His MS. codicibus: quibus adstipulantur antiquissima Martyrologia. Stylum opportunis locis nonnihil expoliuit F. Laur. Surius, adiecit margini capitibus.



In diebus Claudij Cæsaris Petrus Apostolus Iesu Christi Nazareni, Romam venit cum multis Christianis, ei ministrantibus. Vt autem est urbem ingressus, ad Synagogam Iudæorum se contulit, indicauitque eis se quoque Hebræum esse, & à Iudæa propter fratrum charitatem eò aduenisse. Cumque per multos dies cum illis conferret sermones, adferebat identidem de nomine Iesu, dicens eum verè esse filium Dei, qui saluum fecerit omne humanum genus: simul exponens, quanta opera & virtutes fecisset in Israël conuenienter vocibus Prophetarum. Itaque multi ex illis agentes poenitentiam pro sua ignorantia, prædicante

Iulij 23.
Cap. 1.
S. Petrus venit Romam.

Petro, crediderunt in Dominum Iesum: nec Iudæi solum, sed etiã Romani excipientes verbū, gauisi sunt, quòd visitasset Deus genus humanū, mittens filium suum, qui mundum renouaret: credentesque, in Iesum, baptizabatur. Post multū verò tēporis ait beatus Petrus Apostolus Apollinari discipulo suo; Quid hic sedes nobiscū? Ecce eruditus es de omnibus, que fecit Iesus: Surge, & accipe spiritū sanctum, simulque Pontificatū, & proficiscere ad urbem Rauennatiū. Multus illic populus est: prædica eis nomē Iesu, nihil reformidās. Constat enim apud e, verè eū esse filiū Dei, qui mortuis vitā reddiderit, & aegris verbo attulerit medicinā. Tādēm post multa, cū precatus esset beatus Petrus, manus imposuit capiti eius, dicēs; Mittat Dominus noster Iesus Christus angelū suū, qui

Multi Iudæi & Romani credunt.

S. Petrus Apollinarem Rauennam.

Cap. 2.
* Asiaticum
habent Co-
dices M. S.

qui praparet iter tuum, & quæ postulaueris, annuat. Et osculans eum, dimisit à se. Cumque non longè abesset Rauenna beatus Apollinaris, mansit apud quemdam militem * Asiaticum, nomine Irenæum. Is vbi rescituit ex eo vndè venisset, & quid vellet, ait ad eum; Habeo, o hospes, filium sculorum lumine orbarum? si qua virtus est prædicationis tuæ, adhibe illi curationem, vt videat. & ego sequar Deum tuum, credens in eum. Mox ad se puerum adduci alacriter iubet Apollinaris, cunctisque videntibus, qui illic aderant, non nisi Crucis signum in oculos cæci expressit, & ait; Deus qui loco non clauderis, sed vbiq; es, infer cognitionem filij tui Domini nostri Iesu Christi in hanc ciuitatem: nec solum hos oculos corporis illumines, sed etiam interiores in hac vrbe degentium oculos aperias, vt celeriter illis cognoscentibus Iesum Christum filium tuum esse ipsorum Deum, locus hic mihi cum magna efficacia docendi tribuatur. His dictis, vidit cæcus, & aduolutus pedibus beati Apollinaris, vna cum parentibus suis in Christum credidit: pariterque baptizati sunt in fluuio non longè à Rauenna.

Cæcus cru-
ce signatus
videt.

Cap. 3.
Tecla Tri-
buni Rauē-
natæ. vxo:

Matrona verò quædam, Tribuni militum coniunx, Tecla nomine, multis annis grauissimo laborabat morbo, qui omnem medicorum industriam eluderet. Accidit autem, militem Irenæum adesse Tribuno, & cum sermo ortus esset de coniugis mala valetudine, Irenæus ait; Est apud me peregrinus quidam, qui filium meum nullo adhibito medicamento curauit: si permittis, vbi eum viderit vxor tua, mox reualecet. Tribunus dixit; Vndè ille huc aduenit? Respondit Irenæus; Ab vrbe Roma. Tribunus ait; Est igitur natione Romanus? Respondit Irenæus; Equidem ignoro: sed mihi tamen potius Græcus esse videtur. Tribunus dixit; Clam eum perduc in domum meam, vt comperiam vera esse, quæ dicis. Cum ergo beatus Apollinaris Rauennam esset ingressus, circumsignans se, ait; Deus, qui operaris cum magistro meo Petro, operare etiam mecum, vt clarificerur nomen tuum, & fiat voluntas tua. Vbi in aedes Tribuni venit, officiosissime susceptus est, aitque ad eum Tribunus; Benè aduenisti medicine; & quid dulcius æstuanti, quàm frigida aqua? Beatus Apollinaris respondit; Requiescat in vobis pax Domini & Dei nostri Iesu Christi. Tribunus dixit; Equis ille est, de quo loqueris? Apollinaris respondit; Filius Dei viuit, qui mundum perditum instaurauit. Tribunus ait; Vt video, Galilæus es tu. Apollinaris respondit; Etiam. Tribunus dixit; Nosti curationes? Respondit vir sanctus; Nihil sine nomine Iesu. Tribunus ait; Et quæ est virtus in Iesu? Apollinaris respondit; Conuoca huc milites tuos, & cunctis videntibus cognosces veritatem Domini mei Iesu Christi. Illis collectis, ait Tribunus; En vxor mea multos annos decumbit, & medicina omnis ei officit. Si qua verò in te virtus est, exere nunc eam. Apollinaris dixit; Aperiat Deus oculos cordis vestri, vt videntes mirabilia eius, credatis in eum. Tum apprehendens manum mulieris, Surge, inquit, in nomine Domini & Dei nostri Iesu Christi, & crede in eum, nec quenquam putes illi parem. Mox illa surrexit sana, exclamauitque; Non est alius Deus præter Iesum, quem prædicas. Videntes id milites & Tribunus, obstupesciti dixerunt; Reuerà hic Deus est, qui talia facit. Potest autem etiam ille in bellis ferre opem, si diligatur. Crediditque Tribunus cum vxore & filijs & familia, & omnes baptizati sunt. Multi quoque alij, qui illic aderant, fidem Christi complexi sunt.

Vxorē Tri-
buni clinicā
sanat Apol-
linaris.

Cap. 4.
Multi cre-
dunt.

Nota quo-
modo in pri-
mitiua ec-
clesia Missæ
sint celebra-
tæ, & psal-
mi decata-
ri.

Habitauit autem beatus Apollinaris Rauennæ in ædibus Tribuni, & quotidie veniebant ad eum multi è populo, quos ille secretò docebat, dicens, vt crederent in Iesum, Deum cæli & terra: credentesque baptizabantur. Multi quoque nobiles tradebant ei filios suos, vt sacris literis ab eo erudirentur. Ijs autem, qui iam in Christum credebant, Missæ & baptismata faciebat in domo Tribuni cum discipulis suis. Itaque intra duodecim annos, duos ordinauit presbyteros, Adhæretum & Calocerum, Marcianum verò nobilissimum virum, & Leucadium Philosophum, Diaconos fecit, & sex clericos constituens, cum illis diu noctuque Domino psalmos cantabat. Crescente autem fama eius, & quòd annunciarer Iesum, multi que in Christum credidissent, iam latere non poterat. Nunciatum est ergo de illo Saturnino Duci, qui cum adduxit ad Pontifices Capitolijs Rauennatis, interrogauitque ex eo, quid sibi vellet. Respondit vir sanctus; Christianus sum. Dux ait; Et quis est Christus? Apollinaris respondit; Filius Dei, per quem creatura omnis viuit, in cælo, terra & mari. Dux ait. Illène ergo te misit ad nos, vt euertas cultum deorum nostrorum? An ignoras sacrum nomen Iouis, qui magnus est habitator Capitolijs vrbis huius, cui te oportet supplicem fieri? Beatus Apollinaris respondit; Quis sit ille habitator, nescio, nec templum eius noui. Pontifices

Pontifices dixerunt; Veni ergo, & vide magnificum fanum, mirificeque exornatum. Videbis illic inuictissimi Iouis simulacrum. Cum ergo in Capitolium intrasset beatus Apollinaris, subridens ait pontificibus; Hæc tam multa aurea & argentea ornamenta rectius in pauperum usus erogarentur, quam coram demonibus appendantur.

Tum vero pontifices, facta in eum impressione cum populo, immani eum cade Cap. 5.
 mastrauerunt, eiecitumque extra urbem ad mare, semiuivum reliquerunt. At discipuli Crudeliter
 eum colligentes, in cuiusdam viduæ Christianæ domo absconderunt, curam ei adhi- ceditur.

bentes. Et post menses sex vir nobilissimus Bonifacius civis Clusensis subito obmuri-
 tui, nec ei permulti medici remedium adferre potuerunt. Indicatum est ei, famulum
 Dei Apollinarem adhuc viuere, & apud viduam latitare. Missit ille ad eum uxorem su-
 am, orans ut ipsum inuideret ne grauaretur. Venit vir sanctus ad domum eius, & puel-
 la è familia eius, a malo demone arrepta, exclamauit; Recede hinc serue Dei uiuen-
 tis. Alioqui faciam te colligatis pedibus trahi extra hanc urbem. S. Apollinaris dixit;

Obmutescè diabole, & exi ab ea, nec vltra in homine loquaris. Ille quamprimum ab Eiecit da-
 ea recessit. Vt autem peruenit beatissimus Apollinaris ad Bonifacium, vidit eum mu- monem.
 tum iacentem, & ait; Domine Iesu Christe, qui claufisti os hominis istius, ne deinceps
 ab idolis suis opem posceret, restitue ei linguæ officium, vt inuocet benedictum no-
 men tuum, & credat te esse Deum viuentem in secula seculorum. Cumque à Christia-
 nis dictum fuisset, Amen, eadem hora soluta est lingua eius, & laudabat Dominum, Muto red-
 dicens; Non est alius Deus præter eum, quem prædicat beatus Apollinaris. Eodem ditur facul-
 die homines amplius quingenti crediderunt in Dominum Iesum, agentes gratias tas loquen-
 Deo & beato Apollinari seruo eius, per quem illuminati essent.

Non multi autem intercessere dies, cum gentiles quidam à diabolo inflammati, te- Cap. 6.
 nueant eum, & diu sustibus cæso interdicerè volebant, ne nominis Iesu aliquam face- ceditur fu-
 ret mentionem. At ille iacens in terra, clamabat eum verum esse Deum, qui sua spon- stibus.
 te pro hominum salute pati voluerit. Sed hoc illi testimonium non ferentes, beatissi-
 mum virum cogerunt nudis plantis calcare prunas. Tum vero multo ille magis de Calcat nu-
 Christo testificabatur. Id impij homines ferre non sustinentes, eum extra urbem eie- dis plantis
 cerunt, dicebantque ei; Tametsi curationes adhibere nosti, tamen vide, in urbem no- prunas ar-
 stram ne ingrediaris. Iacebat igitur beatissimus vir extra muros, & continenter nomen dentres.
 Iesu prædicabat; multi que è ciuitate Deum timentes, veniebant ad eum, & ministra-
 bant ei. Non enim paruus illic erat Christianorum numerus, maxime nobilium. Ha-
 bebant autem Christiani tugurium non longè à mœnibus, in quo ille Missas faciebat;
 baptizabat autem in mari, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Post plurimos autem annos vir beatus se contulit in Aemiliam, atque illic secretè Cap. 7.
 docuit populos, quos verbo attrahere potuit. Interèa autem Calocerus presbyter Docet in
 gubernabat Ecclesiam, quæ erat Rauennæ, clam multas faciens virtutes in nomine Aemilia.
 Iesu Christi. Non diu post ab Aemilia reuersum beatum Apollinarem, Christiani
 Rauennates cum summo gaudio exceperunt. Per id tempus Rufus patritius & ex-
 consul, habebat Rauennæ filiam vnicam malè valentem. Vt cognouit autem de
 beato Apollinari, mox ad se illum accersiuic, vt filia opitularetur. Postquam autem
 vir Dei cum clericis suis in domum eius intrauit, confestim filia eius mortua est. Eius
 obitum beatus Apollinaris ex lamentis familiæ didicit. Dixit autem ad eum Rufus
 patritius cum lachrymis; Vtinàm in domum meam non venisses. Dij enim magni
 irati sunt, & noluerunt curare filiam meam. Tu vero qua ratione beatus Apollinaris
 nem admouere? Flebant autem omnes, qui aderant. Dixit igitur beatus Apollinaris
 ad Rufum; Constantè age patritie, & iura mihi per salutem Cæsaris te permitturum,
 vt puella sequatur Saluatorem suum? & citò cognosces virtutem Domini nostri Iesu
 Christi. Rufus patritius respondit; Scio puellam mortuam: quam si stantem & lo-
 quentem videro, laudabo sanè virtutem Dei tui, nec prohibebo, quò minus suum illa
 sequatur Saluatorem. Interim omnes amarè lugebant. Tum vir sanctus benè confi-
 dens in Domino, accessit & tetigit puellam, dicens; Domine Iesu Christe, Deus meus,
 qui magistro meo Petro, Apostolo tuo, id præstitisti, vt possit imperrare à te, quicquid
 vult; tu excita puellam hanc, quæ est creatura tua, non enim est alius Deus præter te.
 & respiciens ad puellam, ait; Surge, & confitere creatorem tuum. Confestim illa sur- Ad vitam
 gens, magna voce dicebat; Magnus est Deus, quem prædicat Apollinaris seruus eius, reuoocat pu-
 & nullus est extra eum. Ea hora magno gaudio affecti sunt Christiani omnes, quòd ellam mor-
 magnificatum esset nomen Domini Iesu. Baptizata est autem puella cum matre, & ex

Ee familia

familia promiscui sexus trecenti vigintiquatuor. Sed & alij multi gentiles crediderunt in Christum; cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Cap. 8.

Porro Rufus patritius timens Casarem; occultè diligebat beatissimum Apollinarem; & ministrabat ei. Filia verò eius consecrata est Christo; & virgo permanfit. Perlatum est igitur ad Casarem, virum quendam Antiochenum, magicis artibus in Rauentum inuexisse nomen Iesu, magnamque turbam hominum obedire illi, ipsam quoque Rufi patritij domum. Casar illi mittens successorem; scripsit ad vicarium Messalinum, vt hominem temerarium Apollinarem aut dijs faceret obsequentem, aut in exilium iuberet longinquum deportari. Messalinus ergò in pratorio coram se sisti iubet beatum Apollinarem; dicitque illi coram sacerdotibus Capitolij; Quis vocaris? Respondit vir sanctus; Apollinaris. Messalinus dixit; Vndè huc aduenisti? B. Apollinaris respondit; Ab Antiochia. Messalinus ait; Quam artem profiteris? Apollinaris respondit; Christianus sum; & Apostolorum Christi discipulus. Messalinus dixit; Be-

Phil. 2.

Luc. 1.

quis est Christus? Apollinaris respondit; Filius Dei viuus; qui fecit caelum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Messalinus ait; De illòne Christo tu dicis, qui ante annos non multos, dum se filium Dei diceret, à Iudæis interfectus est? Certè si Deus ille fuisset, nec mori potuisset, nec vexari contumelijs. Sed cum superbè se gereret, pœnis affectus & è medio sublatus est. Quo igitur pacto tu illum in deorum numero reponas, nos non videmus. Beatissimus Apollinaris respondit; Is, de quo loquimur, Christus & Deus erat, & est, eritque semper. Sed volens ille hominum genus à seruitute demonum liberare, exinaniuit semetipsum, & incarnatus est de spiritu sancto; natus ex Virgine, quæ virum non cognouit vnquam. Messalinus vicarius dixit; Auditum est hoc apud nos, sed difficulter potest credi. Beatissimus Apollinaris ait; Audi iudex, quæ à me dicentur, animo virili. Deus manebat in corpore, faciebat signa & miracula in mundo. Quòd verò à Iudæis tentus & crucifixus est, id caro ex virgine sumpta patiebatur; diuinitas autem mansit omnis perpersionis experta & immortalis; quæ etiam carnem ipsam tertiam die excitauit; & multis apparens Christus, ascendit in caelum, vndè descenderat Deus. Tantam autem in se credentibus largitur virtutem, vt in nomine eius demones eijciant, ægros sanent, mortuos in vitam reuocent. Messalinus vicarius dixit; Tu mihi persuadere non poteris, vt ego deos sequar ignotos; qui à Senatu recepti non sunt. Sed hac postposita vanitate, accede ad Capitolium; & manibus tuis pone thura magno deo Ioui tonanti, vt possis viuere. Nam alioqui per salutem Casaris, diuersis excruciatum pœnis in exilium te mittam. Beatissimus Apollinaris dixit; Tu nequaquam mihi persuadebis, vt ponam thura demonibus; sed Domino meo Iesu Christo offeram sacrificium laudis & inauitatis.

Marc. 16.

Cap. 9.

Tum verò exclamantes Pontifices, dixerunt; Ignoras Iudex hunc sibi pontifici arrogasse titulum, vt sub nostro nomine seducat turbas? Sed tu inquire in eius temeritatem & arrogantiam. Vicarius ait ad officium; Exiite eum; & cadentes sustibus, dicite; Resipisce; & immola dijs. Sed ille dum caderetur, clamabat; Christianus sum; fac, quod tibi visum erit. Interim vnus è pontificibus dicit Messalino; In eculo suspendatur, vt diu tortus, honorem habeat dijs immortalibus. Beatissimus Apollinaris, his subiectus tormentis, dicebat; Dominum Iesum Christum confiteor esse Deum viuentem, non alium aliquem. Messalinus ait; Quid premij pro his supplicijs expectas? Beatus Apollinaris respondit; Scriptum est; Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et si quis in Christo mortuus fuerit, viuet. Hæc est remuneratio Christianorum. Tum vniuersi, qui illic aderant Christiani, glorificabant Deum caeli, cum hæc ex Apollinari audirent, quòd fortior ipse esset in perferendis pœnis, quam alij inferendis. Messalinus tortoribus ait; Rursus verberetur, & in plagas aqua bulliens infundatur; deinde sub præconis voce ducatur ad nauim, vincus graui ponderare ferri; & in Illyricum eat exulatum. Interim arripitur à diabolo vnus è tortoribus, qui in Christi seruum præ ceteris sauierat; & subito expirat. Cum autem eleuatus esset S. Apollinaris, dixit Messalino; Impijssime; cur non credis in filium Dei, vt possis vitare æternos gehennæ cruciatus? Tum indignatus Messalinus, iussit os eius lapidibus contundi. Ea immanitate commoti Christiani, irruerunt in gentiles; & breui spatio amplius ducentos trucidarunt. Volebant verò etiam Messalinum interficere. At ille perturbatus, inclusit se; porro beatissimum Apollinarem, grauisimo ferri pondere adhibito, iussit in horridum retrudi carcerem, & in ligno extendi; nec quicquam ei ministrari, vt sic deficeret. Angelus autem Domini nocte ad eum veniens, videntibus

Creditor sustibus.

Torquetur in eculo.

Matt. 10. & 24.

Iterum verberatur.

Os eius lapidibus contunditur.

Horrido carceri traditur.

tibus custodibus, escam ei dedit, & cum eum corroborasset, recessit. Quarto indè die audiens Messalinus eum adhuc viuere, clam iniectis ei catenis, nauì impositum, in exilium iussit deportari. Secuti sunt autem tres è Clero eius, qui illi ministrarunt. Ecclesiam, quæ erat Rauenna, intereà gubernabant presbyteri & diaconi: crescebatque numerus Christianorum.

Mittitur in exilium.

Naugantibus verò illis mare, subito orta est tempestas, & nauì confracta, ad litus ciectus est beatus Apollinaris cum clericis suis & duobus militibus: ceteri in mari perierunt. Dixeruntque milites illi beato Apollinari: Domine pater, quò ibimus, aut quid faciemus? Respondit vir sanctus; Baptizamini in nomine Iesu Christi, & uiuetis. Illi quamprimum propudiatas idolis, baptizati sunt in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Indè à loco in locum commigrantes, in Mœsia prædicabant uerbum Dei, sed nemo eos recipiebat. Cuiusdam verò primarij & magni viri frater lepra infectus fuit. Eo uiso, dixit beatissimus Apollinaris; Vis sanus fieri? Respondit ille; Volo. Beatus Apollinaris ait; Crede in Dominum Iesum Christum. Respondit ille; Qui me sanum fecerit, is erit Deus meus. Tum beatus Apollinaris inuocans nomen Domini Iesu, tetigit eum: & euestigio curatus est: reiectisque simulacris, credidit in Dominum Iesum, & baptizatus est: mansitque vir sanctus apud eum diebus per multis. Deindè Danubij litora terens, multos ad Christum adduxit. Vbi autem didicere gentiles hostem eum esse idolorum, de eius nece cogitabant. At ille profectus in Thraciam, mansit illic dies multos. Erat autem in quadam ciuitate idolum, à quo per id tempus nullum potuerunt habere responsum. Cumque multa illi offerrent, agrè tandem ab eo impetrarunt, vt diceret: Nescitis discipulum Petri Apostoli Iesu Christi Roma huc uenisse, meque, dum prædicat Iesum, ligasse? Is si hinc profligatus non fuerit, nulla uobis responsa dare poterò. Facta ergò inquisitione, repertus est beatus Apollinaris, interrogatusque ab eis, quid illic ageret, dixit se Christianum esse, & pro Christi nomine à Rauenna eò extrusum in exilium. Itaque nudatum uestibus, diu sustibus uerberarunt: perductumque ad mare, cum socijs nauì in Italiam itura imponi curarunt, dicentes eius regionis præfecto, fatius esse eum remitti eò, vnde uenisset, vt illos potius euerteret, quam apud ipsos aboleret cultum deorum.

Cap. 10.

In Mœsia prædicat Christum.

Sanat leprosum.

Moratur diu in Thracia.

Sustibus uerberatur.

Ità ergò post triennium vir sanctissimus Rauennam reuersus est, & à Christianis cum summa exultatione exceptus, Deum laudantibus, quòd eis suum patrem & Doctorem restituisset. In ipso autem itinere multa per eum Dominus miracula effecit. Multo indè lapsò tempore, cum Christianis Missas in Cyrenæi Senatoris possessione faceret, repente orta seditio est in vrbe propter eum, irruentesque in eum furentes populi, uinctum in forum pertraxerunt, cadentes eum, & plagas ei imponentes. Viso autem illo, dixere Pontifices Capitolij; Non est hic dignus, vt presentetur magno deo Ioui, quippè cui non semel illuserit. Sed ducatur ad Apollinis templum, ibique cognoscat uirtutem deorum immortalium. Illis ergò eum ducentibus, multi nobiles uiri, tam ethnici, quam Christiani, vnà cum populo sequebantur eum. Dicebant autem gentiles; Videamus, num ad sanitatem redierit homo iste. Ingressus verò templum beatus Apollinaris, vt uidit Apollinis simulacrum, ait ad circumstantes gentiles; Istène deus est, per quem futura prædicatis? Responderunt illi; Nimirum ipse est, & quidem primus inter deos, & custòs urbis huius. B. Apollinaris ait; Non sit illi vnquam benè: sed eo profligato, custos hinc cõmorantium Christianorum erit Dominus Iesum Christus, qui est uerus Deus. Cumque orasset vir sanctus, simulacrum dissolutum est, & templum dæmonis euersum. Id conspicati ethnici, clamabant; Senex impius tollatur è medio, qui omnia dissipauit. Christiani autem gratias agebant, dicentes; Reuerà hic Deus est, qui talia efficit per patrem nostrum Apollinarem.

Cap. 11.
Redit Rauennam.

Caditur à populo.

Templum Apollinis euerit precibus.

Commoti verò gentiles, tradiderunt eum Thaurò iudici, vt illum occideret. Is congregatis in prætorium cunctis nobilibus urbis eius, ità compellauit eum; Oramus te, nè celes nos, qua uirtute isthac facias, & uinam conuentus agas & miracula efficias, vt tanta turba te sequatur? Beatus Apollinaris respondit; Virtus alia non est, nisi Domini nostri Iesu Christi. Domum autem Dei habemus in cordibus nostris. Si tamen etiam fabricam requiris, non est procul ab vrbe: ubi Christianis proponimus diuina eloquia. Thaurus dixit; Habesne adiutores aliquot? B. Apollinaris respondit; Habeo sanè permultos. Thaurus dixit; Est aliqua in te uirtus diuinitatis? B. Apollinaris respondit; Iam dixi tibi, esse supernam uirtutem Domini nostri Iesu Christi. Thaurus ait; Habeo filium ab ipsa natiuitate cæcum. Inuoca nomen eius, quem à

Cap. 12.

suis crucifixum afferis, & aperi oculos huius, planeq; credemus, verè eum esse Deum. Sin minus id feceris, pro tuis sceleribus igni te comburemus. B. Apollinaris respondit; Veniat in medium cæcus. Venienti dixit vir sanctus; In nomine Iesu Christi aperi oculos tuos, & vide. Continuo ille apertis oculis vidit. Stupefacti ea re proceres omnes, qui illic aderant, dicebant; Profecit Deus is est, qui talia perpetrat, multiq; ex eis crediderunt in Dominum Iesum. Thaurus autem iudex eruit eum è manibus vulgi, & nocte misit eum in prædium suum, tanquam illic custodiendum. Vbi mansit annos quatuor. Erat is locus sexto ab vrbe milliario; confluxebantq; eò Christiani omnes, & ab eo instituebantur. Si quis ad eum venisset æger, sanus recedebat, quacumque fuisset infirmitate detentus.

Cap. 13. Porro Vespasiano Imperij habenas moderante, Pontifices Capitolij inuidiosè de eo retulerunt ad illum. Cuius relationis hæc erat sententia; Si Apollinarem imperatorem, contra regni tui & populi Romani salutem docentem, non interfeceris, Romanas caeremonias pesum premet. Non enim parua multitudo ab eo seducta, quotidie in iniuriam deorum immortalium bacchatur. Magicis enim artibus ille templum euertit. Sed si solus iam affecta ætate erit vita priuatus, Romanum nomen incolumè permanebit. Percripsit ergo Vespasianus Imperator, vt si quis dijs irrogasset iniuriam, aut satisfaciatur, aut vrbe pellatur. Non enim æquum est, inquit, vt nos deos vindicemus; sed ipsi se de inimicis suis vlcisci possunt, si irascuntur. Ea iussione perlata

Rauennam, Demosthenes vir illustris & patricius, sed planè ethnicus, beatum Apollinarem sibi exhiberi præcepit. Venit ille, & cum multo senio pressus & diuersis penis & afflictionibus confectus staret coram iudice, gentiles clamabant; Nihil ex eo inquiras. Nos enim omnes scimus Christianum eum esse, & euersorem templorum. Aut puniri eum iubero, aut procul extra hanc urbem expellito, nè nos pereamus. Demosthenes patricius dixit; Dic mihi antique impostor, cuius conditionis es? Beatissimus Apollinaris respondit; Equidem non nego coram gloria tua, sed planè confiteor Christianum me esse, & à Petro Apostolo eruditum, & ad hanc felicissimam urbem missum, vt per nomen Iesu Christi salutem consequantur credentes in eum. Demosthenes patricius dixit; Quid multa? Iam tempus est, vt missa vanitate tua, dijs satisfacias. S. Apollinaris ait; Ego me ipsum sacrificiū offero Deo pro salute filiorum meorum, quos mihi acquisiui. Tibi autem dico; quisquis non receperit à cultu deorum vestrorum, & adorauerit Deum cæli, terræ & maris, qui cum Domino Iesu Christo regnat in æternum, is perpetuis gehennæ flammis concremabitur. Qui autem crediderint & baptizati fuerint, habebunt requiem sempiternam, & diuitias ineffabiles.

Marc. 16.

Cap. 14. Tum furore percitus iudex, tradidit eum custodiendum Centurioni, occultè Christiano, vt interim cogitaret, quibus eum supplicijs perderet. Centurio itaque perduxit eum * Clusam in domum suam, & post dies paucos dixit ei; Domine pater, noli tam citò mortem oppetere, cum vita tua nobis necessaria sit. Egredere noctu, & abi in vicum, vbi ægri morantur, donè furor populi conquiescat. Sicque media nocte dimisit eum, vt fugeret. Sed vbi res innotuit dæmonum cultoribus, insecuti sunt eum, & apprehensum non longè à porta tandiù ceciderunt, donè putarent extinctum. Porro ante lucem collectus à discipulis, perductus est in vicum, vbi leprosi degebant, & ibi inter Christianos decumbens, septem dies superuixit, admonens ecclesiam, nè à fide Christi discederet, simul annuncians, multas imminere pro Christi nomine persecutiones; sed tandè post plurimas tentationes etiam principes ad fidem Christi accessuros, omniaq; deorum simulacra euersuros, & toto orbe terrarum hostiam à Christianis Deo viuo liberè oblatum iri. Addidit etiam; Qui permanferit in fide Iesu Christi, vita viuet, & non morietur. His & alijs multis eos instituens sermonibus, vita functus est beatissimus martyr & Episcopus Iesu Christi Apollinaris, & sepultus est extra muros * Clusenses in arca faxea à discipulis suis. Ea verò arca propter merum gentiliū sub terram missa est. Gubernauit ecclesiam suam annis octo & viginti, mensè vnū, dies quatuor. Passus est sub Vespasiano Augusto, X. Calendas Augusti; Regnante Deo & Domino nostro Iesu Christo cum Patre & Spiritu sancto per omnia secula seculorum, Amen.

Esus pro-
phetia.

Felicissimè
moritur.

* Clusenses

alij * Clusam
sem legunt
sed verūque
vt suspicor,
mendosè.

DE S. APOLLINARI EPISCOPO ET MARTYRE.
 PETRI DAMIANI SERMO I. IN FESTIVI-
 TATE S. APOLLINARIS.

329

HODIERNA die, fratres charissimi, ad iucundum nimis satisq; delectabile spectaculum venimus, & gloriosæ palæstræ certamen oculis fidei contemplati sumus. Vidimus enim vnum ciuem supernæ Hierusalē pro Rege suo strenuè ad bella procedere, & innumerum Babylonix vulgus vnanimi conspiratione contra vnum caput ferociter dimicare. Vidimus militem Christi contra mundū triumphale vexillū Crucis inferre, vidimus econtrā amatores mundi pro dilecto suo contipatis cuneis obuiare. Illi enim vndiq; circumfusi diuersa tela coniiciūt, sagittas emittunt, machinas erigunt: & vt vallum Christi irrumperere valeant, omnia præliandi argumenta componunt: hic autē ense verbi spiritualis accinctus, lorica fidei indutus, spei galea præmunitus, sub patientiæ suæ se clypeum colligit, & hoc contra omnes bellicæ tempestatis ictus vigilantī oculo circumducit. Illi ignem adhibent: sed iste immensæ charitatis ardore succensus, incendia exterioris flāmę non sentit. Illi bullentibus aquis dilacerata membra perfundunt: iste largo sancti Spiritūs imbre diuinitus refrigeratur, cantans cum Propheta: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Illi virgis cadunt, sudibus frangunt, eculeo suspendunt, in carcerem mittunt, postremò catenatum in exilium dirigunt: iste verò in arce mentis constitutus, quicquid erga se agitur, sub se fieri quasi alius quidam eminens intuetur, dicens cum Paulo: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. & iterum: Licet exterior homo noster corruptatur, is tamen, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate aternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Cuncta ergò hostium iacula facta sunt beato Apollinari gloriosè vincendi materia. Et vndè illorum crudelitas deijcere nititur, indè istius patientia ad standum firmiùs roboratur. Sanctus enim vir inter persecutionum bella deprehensus, quò duriùs telorum grandinem inhorrescere conspicit, eò cautiùs vndique scutum suæ grauitatis opponit. Et quò violentiùs pugne imperus videt ingruere, eò magis se studet & in vires colligere, & ad agendum fortiter excitare. Vbiq; paratus assistit, vbiq; vigilanter intendit, & venientibus vndique gladijs imperturbatus occurrit.

Iulij 23.

Ephes. 6.

Psal. 69.

Esa. 43.

2 Cor. 4.

Ibidem.

Quia verò, fratres mei, beati Apollinaris agonem, palæstram superiùs nominauimus, vtrum nam congruè positum sit, si placet, paulò subtiliùs inquiramus. Palæstrita quippe nudus luctatur: & beatus Apollinaris mundanæ possessionis indumento nudus fuisse cognoscitur. In spectaculo autem ciuiū huiusmodi lucta proponitur, & beatus Paulus de se alijsq; Christi bellatoribus congruè testatur, dicens: Spectaculum facti sumus Angelis & hominibus. Solet autem pueris oleum, quod videlicet Chrisma ab eis dicitur, à campiductoribus tribui, vndè eorum debeant omnia corporis membra perūgi: sanctus verò Petrus Apostolus beati Apollinaris non dicam campiductor, sed ductor, sancti Spiritūs eum vnctiōe perfudit, cum ad certamina persecutionum missus. Vt enim in sancta gestorum illius narratur historia, ait beatus Petrus Apollinari discipulo suo: Quid sedes nobiscum? Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Iesus. Surge, accipe Spiritum sanctum, simulq; Pontificatum, & perge ad urbem, quæ vocatur Rauenna. Quod enim dicit, Accipe Spiritum sanctum, & perge, tale est ac si diceret: Oleo membra perfunde, & bellum viriliter confere. De hoc enim sancti Spiritūs oleo per Prophetam dicitur: Computrescit iugum à facie olci. De hoc & per Psalmistam canitur: Inueni David seruum meum, oleo sancto meo unxi eum.

1 Cor. 4.

Spiritus sanctus rectè oleum dicitur.

Esa. 10.

Psal. 88.

Mos verò esse campiductorum solet, vt priùs certaturi discipuli membra peruideant, videlicet, quàm latum validumq; sit pectus, quàm sani pleniq; tumeant lacerati, quàm subterpositus venter nec mole grauet, nec extenuatione debilitet: & si cuncta bellico vsui apta esse perspexerint, mox eius segnitiam dura seueritate corripiunt, & desides adhuc animos in amorem laudis accendunt & hortanter instigant, & nè formidare debeat, suam ipsius coram eo fortitudinem laudant. Sic nimirum beatus Apostolus quasi ante ipsum arenæ vestibulum alumni sui membra considerat, & vt se ad congregandum præparet, verbis suasoriæ adhortationis inflammat. Quid est enim dicere, Quid sedes nobiscum? Iam deponere desidiam, vt post peractam victoriā peruenias ad coronam? Et quid est dicere, Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Iesus, nisi omnes tui corporis artus iam perfecto vigent robore, nihilq; tibi superest, nisi vt ti-

Qualis esse debeat miles Christi.

Ec 3

more

more postposito incipias dimittere? Unde apte subiungitur: Prædica eis de nomine Iesu, & ne formidaueris: tanquam diceret: Ex iussione meâ authoritate congregare, brachia confere, vt communem vtriusque Regis possis victoriam de triumphatis hostibus reportare. Percurre impiger stadium, vt ad propositum victoribus merearis pertingere brauium. Non dubites arripere pugnam, de qua nobilem referes, auctore Deo, victoriæ palmam. Ego tibi præcipio, qui potestatem ligandi non solum in terra, sed & in caelestibus habeo, ego te ad pascendas oues Dominicas mitto, qui ouile totius sanctæ Ecclesiæ iniuncta mihi cura custodio. Prærogatiua ergo magistri sit discipulo audacia præsumendi, & mittentis authoritas sit fiducia missi.

1. Cor. 9.

Eccè primatū beati Petri Apostoli.

Psal. 88. Matth. 14.

Matth. 16.

Iohan. 10.

1. Iohan. 4. Iohan. 21. Iohan. 15.

Act. 1.

Act. 10.

Iohan. 16.

Attende, quàm sit ne- phariū ambire dignitates, præcipue in episcopis personis. Iohan. 10.

O beate Apostole, quàm libenter, quàm alacriter morum tuè diuersitatis intueor, & nunc te debilem, nunc fortissimū pulchra varietate contemplor. Debilem, inquam, negando magistrum: fortissimū verò, pro eisdem magistri confessione mittendo discipulum. Non times discipulo Rauennam multarū vrbium dominam assignare, qui tibi metipso expaueras vnus sacerdotis ancillam. Non metuis illum in procellosos fluctus turbulentissimæ ciuitatis solum mittere, qui cum ipso Creatore mariū, super marinas vndas expaueras ambulare. illi nanque dictum est: Aquilonem & mare tu creasti. Cùm enim dixeris: Domine, iube me venire ad te: nisi statim expauisses, mergi vti què non coepisses: nisi in nauis fidei aliquam naufragij vndam pertulisses, nullatenus ex ore Veritatis audisses: Modicæ fidei, quare dubitasti? Nec mirum, tibi metipso maris tunc formidasse periculum, qui pro eadē mentis infirmitate, Magistrum & Dominum tuū nolebas Crucis subire paribulum. Cùm enim tibi diceret, quod pro redemptione humani generis crucifigendus esset, protinus respondi: Absit à te Domine, propitius tibi esto Domine, ne fiat hoc. Quid est, beate Apostole? Nunquid vis claudere locum, vnde nostræ redemptionis est precium exiturum? Nunquid vis fontem restringere, qui prauitatis nostræ descendit maculas emundare? Eccè iam nōsti illum proculdubid Deum esse, & ramen distuas des mortem subire. Nisi enim Deum crederes, Propitius tibi esto Domine, non dixisses. Concordat quidem fides discipuli cum assertione Magistri. Potestatem, inquit, habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Sed qui fide stas, infirmitate iaces: quem fides erigit, timor sternit. Qui ergo Magistro Crucis timueras mortē, & tibi metipso pelagi profunditatem, nunc dilectum discipulum non dubitas mittere inter persecutorum furientium rabiem. Cur hoc, nisi quia completum est in te quod per coapostolorum tuum dicitur: Quia timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem? Iam enim iterum audieras à Domino: Simon amas me? Et respondens: Domine, tu scis quia amo te: illic audisti: Pasce oues meas. Dixerat iterum Dominus: Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos. Sicut ergo te Dominus dilexit, cùm pro pascendis ouibus suis inter scandala persecutorum misit: sic & tu discipulum diligis, cùm pro eisdem ouibus ad martyrium dirigit.

Sed libet, fratres mei, hæc Apostolica verba subtili indagazione discutere, & quomodo canonica ecclesiastica censura authoritas in eligendis præpositis vnam vbi què teneat regulam præuidere. Dicitur enim beato Apollinari: Quid sedes nobiscum? Eccè eruditus es de omnibus, quæ fecit Iesus. Rursus idem Apostolorum princeps cùm in loco Iudæ alium subrogare voluisset Apostolum, vt neophytorum reprimeret prauitatem, dixit: Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intrauit & exiit inter nos Dominus Iesus, testimonium resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Hinc idem ipse gentibus Christum euangelizans aiebat: Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam surrexit à mortuis. Hinc ipse Dominus in Euangelio cùm de mittendo sancto Spiritu Apostolis loqueretur: Ille, inquit, testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis: tanquam diceret, idcirco idoneum de me testimonium perhibebitis, quia quicquid alios docueritis, longæ conuersationis assiduitate ipsi antea didicistis. Audiant neophyti, audiant elati, & quasi folles vento arrogantiae & igne cupiditatis inflati, quia non volunt discere quod sciant, & in schola Christi ante inhiant in cathedra præsidere, quàm ferulā sentiant: Dumque inordinato ordine non per ostiū, sed aliunde ad regiminis iura prorumpunt, non se pastores esse, sed & fures, & mercenarios patenter ostendunt: qui prodesse non curant, sed præesse flamma perniciosissimæ cupiditatis anhelant. Hi profecto non præferuntur, vt Christi

Christi ouille custodiant, non vt gregem Dominicum pascant, sed vt miseram carnem suam in lasciujs & cupiditatibus molliter nutriant: dumque se proximis prelatos esse considerant, cæcamentem in superbiæ cornibus exaltant. Audiât ergo qui eiusmodi sunt, & vel curent se ab hac præsumptione comescere, vel nouerint se à corpore sanctæ Ecclesiæ iam, etsi nō apertè, verè tamen radicitus præcisos iacere. Ecce beati Apostoli, super quos quasi solidissimas bases, sancta fundatur Ecclesia, non nouitium, non indoctum, sed illum ordinant, quem in doctrina & sanctæ conuersationis studio perspexerint esse maturum. Hoc quarit Petrus in Matthia, cum eligit in Apostolatam, hoc in Apollinare cum promouet in Episcopatum. Quod ergo Dominus prouiderat in Apostolis, hoc Apostoli considerant in Apostolicis uiris.

Qui sint ascendendi ad præsulatum.

Illud etiam prætereundum non est, quod beatus Apostolus osculans discipulum, emisit eum à se. Hic antiquorū patrum consuetudo recolitur, & in nouo seculo veterum Patriarcharum antiquitas reparatur. Ecce Isaac iterum filium osculatur. Ecce Jacob iterum benedicitur, & Patriarcha à Patriarcha ex authenticæ traditionis ordine consecratur. Illi dictum est, Accede ad me, fili, vt benedicat tibi anima mea: isti dictum est, Surge, accipe Spiritum sanctum. Illi dictum est: Det tibi Deus de rore cali, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei: isti verò dicitur, Mittat Dominus noster Iesus Christus Angelū suum, qui præparet iter tuū, & quæ postulaueris, annuat tibi. Sic & Iacob Ephraim, & Manasse filijs Ioseph osculum præbuit, cum eos inter reliquos Patriarchas constituens benedixit. Hinc etiam Ecclesiasticus mos inoleuit, vt Pontifices his, quos consecrat, osculum tribuant. Hinc, fratres, hinc rogo colligite, beati Apollinaris quanta sit celsitudo, qui vt Apostolus ad arcem Pontificatus eligitur, vt Patriarcha solenniter ordinatur, qui & ab illo, & non diuerso modo prouehitur, à quo & Apostoli promouentur. Videtur ergo in illo & Apostolica dignitas, & Patriarchalis sublimitas: quia & Apostolico ore prouehitur, & Patriarchali solennitate consecratur. Vndè fit, vt cum cæteri, qui pro testimonio veritatis supplicia passi sunt, martyres nuncupentur: hic quia nō solum passus, sed etiam ad martirium ab Apostolo tam nobiliter est electus, Apostolicus martyr iure dicatur.

Nora patrū traditiones in Ecclesia seruari.

Gen. 27.

Gen. 48.

Martyres vnde dicantur.

Inter hæc vos, fratres charissimi, ad vosmetipsos redite, actus vestros sollicita examinatione discutite, & qui laudes martyris libenter auditis, laudabilē vitam habere curate, non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Illi enim dignè sanctos laudibus efferunt, qui laudabiliter viuunt. Et hi fortitū virtutes vtiliter audiūt, quos audita præconia ad amorē imitationis accēdūt. Ceterum quid prodest si alios constitutos in sublimibus videas, ipse verò in præceps ad ima descendas? Quid prodest fortium bellatorum triumphos extollere, si ipse non erubescas quotidie terga hostibus dare? Quisquis ergo gaudes fortiter egisse martyres Christi, corripe & ipse arma inter milites Christi. Desunt exterius hostes? Verte manus in te, & multos seditiosos inuenies ciues. Doma superbiam, iugula iracundiam, extingue libidinem, reprime auaritiam, occide inuidiam, & vt breuiter cum Apostolo cuncta complectar, crucifige carnem tuam cum vitijs & concupiscentijs. Hoc est fortiter agere, hoc est viriliter dimicare. Nam quid iuuat si circa vallum te non obsideant acies persequentium, & intrā vrbis mœnia grassetur barbaries vitorum? Vis autem adhuc apertius discere, qualiter in pace sanctæ Ecclesiæ valeas martirium inuenire? Audi attentè, intellige diligenter. Cor vigelet, oculus cum dormitat. Quod enim dico, breuissimum est. Ascende igitur tribunal mentis, & temetipsum pertrahe ad iudicium quæstionis. Cogitatio accuset, animus iudicet, pœnitens cōscientia velut carnifex feriat, lachrymarum riuus tanquam vulnus erumpat. Sic sic per martyrij similitudinem, ad veram peruenies martirij dignitatem, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuunt, & gloriatur per infinita secula seculorum, Amen.

Ecclesi. 17.

Vides ubi que laudabilem vitam requiri.

Gal. 5.

Attende, quomodo ad martirij spirituale perueniatur.

EIVSDEM SERMO SECVNDVS VNDE SVpra.

Apostolici martyris gloriosa solennitas, fratres charissimi, alacrem fecit vestræ deuotionis adesse conuentū. Vndè dignū est, vt cōmuni vobiscum læticia pariter exulemus, & totam hanc diem in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus expendamus. Meritò hodie profusus gaudijs totus vbiq̄ terrarum orbis exultat. Meritò sancta Ecclesia, dispositis fidelium choris, dulcisonas melodiarum voces alternat. Gaudeat Antiochia, quæ talem meruit gignere filium: ex-

Festum sancti Apollinaris Episcopi & martyris.

Duo hic ad
nota, fan-
ctos ciuita-
tum esse pa-
tronos, &
illorū cor-
porib' ipfas
sanctificari.
Ephes 2.
1 Pet. 2.

S. Apollina-
ris spiritua-
lis Romæ
filius.

Iohan. 3.

Cæcū illu-
minat in
suburbij
Rauennæ
ciuitatis.

Multa pati-
tur Rauennæ

Prou. 25.

Math. 10.

Attēde eius
constantia.

ultet Roma, quæ talem potuit habere discipulū, præcipuè verò iubilet vrbs Rauenna, quæ tantum meruit referre patronum. Quæ enim erat dæmonum antea delubrum, per hunc cælestium senatorum facta est capitolium: ibi enim iam martyrum corpora requiescunt, ibi multorum sanctorum patrocinia reconduntur. Quæ ergo prius male fecunda in filiis suis multas stipulas germinabat inferno, iam per Dei gratiam multos ciues parturit cælo: vt iam populo illius non immeritò dicatur: Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei. & per Petrum: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Reges enim sumus, quia Crucis vexillum in fronte portamus. Sacerdotes autē iure dicimur, quia Chriftismatis vnctioe linimur. Iustè ergo egregia illa metropolis de beati Apollinaris festiuitate specialiter gaudet, per quem olim profana & rustica, facta est nunc sacerdotalis & regia. Cui cum Romanis arcibus ad eodē communis est dignitas, vt illa mater, ista dicatur congruè filia: quod enim illa in cælesti clauigero, hoc totum ista possidet in discipulo: & quod illi prærogat Apostolus, hoc etiā isti martyr Apostolicus. Si enim Constantinopolitana ciuitas, quia Romanos in se transtulit ciues, secunda Roma est nuncupata: quanto magis hæc, quæ tantum Principem de Roma suscepit, secunda Roma est appellanda? Nunquidnam gloriosius est suscipere Quirites de Romana curia, quàm habere martyres de Romana Ecclesia? Ex ea igitur parte, qua Roma carnalis est, carnales genuit: ex ea verò qua spiritualis est, spirituales ex se filium procreauit. Quod enim natum est de carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Quod autem tantum ciuitati illi tribuimus, vt Romæ similem esse dicamus, ad laudem Dei referimus, non fauores hominum affectamus. Nam ornatus habitationis, decus est habitantis: & honor militis, gloria est Imperatoris.

Liber autem, dilectissimi, pulchrum diuinæ dispensationis ordinem studiosè perpendere, & quàm mirabiliter omnipotens Deus regionis illius tenebras illustrare decreuerit indagare. Sicut enim matutinus lucifer ab ortu surgens solem præcedit, ita beatissimus martyr ab orientali plaga progrediens, nomen Domini nostri Iesu Chrifti, qui verè est sol iustitiæ, primus Rauennæ finibus introduxit. Et quàm benè sibi luciferi nomen congruit, qui primum aduentus sui miraculum de lumine fecit? Nam mox vt in suburbano est receptus hospitio, cæco Irenæi militis filio lumen reddidit, & sic de parterum cordibus infidelitatis tenebras effugauit: nam dum illi oculos reddidit frontis, istis multò foelicius lumen aperuit cordis. Rectè ergo dicitur, quia sicut lucifer in orbem, ita beatissimus vir suam est delatus in vrbe. Quot autem ibi supplicia sustinuerit, quot mortium tormenta percurrerit, ille quidem perferre mirabiliter potuit, referre quantalibet linguæ nostræ facundia non valemus. Cæditur, vritur, vulneratur, eculeo tortus per mēbra cuncta discerpitur: sed quò magis caro per tormenta concutitur, eò mens in Deum fixa firmius roboratur, & quasi igne successa materies, quò plus aduersitatū ventis impellitur, eò in amorem Dei ardentius inflammatur. Sanctus quippe vir dum foris tolerat turbinem persecutionis, intus recurrit ad arcem mentis, & indè cuncta sub se ire despicit, inter quæ transire corporaliter etiam semetipsum cernit. Minas non metuit, tormenta alacriter patiendo contemnit. Hinc enim per Salomonem dicitur: Iustus quasi leo confidens absq; terrore erit. Hinc ab eo iterum scriptum est: Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit. Iam quippe spiritus ad alta suspensus in hoc ineffabiliter gaudet, dum sibi cumulari gaudia per tormēta videt. Poenis fouetur, incendio refrigeratur, fame reficitur, inopia dilatur, & id maximum lucrum deputat, si grauem de passione Domini sarcinam portat, tantumque sibi minui timet de præmio, quātum sibi met subtrahi conspiciat de tormento. Quid plurā? Iterum cæditur, iterum cruciatur, ad extremum quoque nudis plantis super ardentibus prunas stare cōpellitur: sed dum vterque pes supposito igne comburitur, lingua in confessione Chrifti liberius relaxatur. Segnior quippe fuerat ignis, qui exterius incendebat, quàm qui interiùs inflammabat, tanquàm alter coqueretur, & alter loqueretur, alius verba ederet, alius verbera sustineret: & reuerà alter, Veritate attestante quæ ait: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et vt triumpho beatissimi martyris ipsa contraria elementa concorditer seruiant, dum ignis potentiori igne contemnitur, caro quæ vsta fuerat, aquis bullientibus elixatur, sicque in odore suauitatis Domino duo sacrificia ex vna sunt victima. Agè agè responde mihi, turba frenetica, & ab ipsis furiosis meritò deridenda. Quid furis? Quid fœnis? Quid cruentis dentibus & lupina rabie debaccharis? Nunquid ipc.

speras supplicij Christi militem cedere, & à sancto proposito mentem posse mutare? Non est huiusmodi mens in Deum fixa, ignorat in bello perdere militiam Christianam. Nescit praeliator noster rigore mollescere, nescit gladios formidare, immò quò magis impetitur, eò robustior inuenitur. Eia percutite, incende, coque, gyra, regyra, diuelle à visceribus viscera, imprime vulneribus vulnera. Apollinaris noster si dissentitur, idem ipse qui fuerat, inuenitur. Non potest iam Christum in loquedo negare lingua, quem cetera patiendo confessà sunt membra. nam si fictile sui corporis vasculù, dum adhuc sanù esset, pro conseruado fidei thesauro lacerari permisit, quanto magis tunc pro iam quassato & fracto, tam preciosum thesaurù perdere formidabit? Tu ergò, tu miserabilis turba agonothea Christi dum deicere moliris, dum superare niteris, insuperabilem reddis. Tu facis, vt corpus suum ille despiciat, & ex eo egredi tota animi alacritate contendat, & dum nouis & exquisitis supplicijs cum mirabiliter crucias, vt mirabilem facias martyrem elaboras: tua enim stulta sapientia fecit, quòd hodiè nomen beati Apollinaris tam clarum & celebre per ora fidelium currit. Seruisti nepe, dum sequisti, & auxisti palmã, dum exaggeras poenam: nam quid non ad victoris gloriam vecors ingeniu tuum reperit, quando in honorem transferunt triumphii ipsa etiam instrumenta supplicij? Sed adhuc diligentius laceratum corpus exanima, adhuc ea ipsa, quæ confecta sunt, membra retracta, coque, discerpe, iacta, caede, verbera, percutite, iam de toto corpore inuisibilissimi martyris quid aliud nisi plagas poteris vulnerare? Bulliat aurù, non minuitur: cadatur adamas, non fecatur. Jam denique ille ad cæli culmen anhelat, iam mente in sublimibus habitat: nihil dolet, nihil timet, nisi, o persecutores, solam pietatem vestra, quæ si ei tribuitur, ab ipso impietas crudelissima deputatur, & si tela vestra ad eius vultus interiora pertingere, sola illum pietate ferite. Tunc enim grauiter indignamini, si miseremini: tunc multum laceratis, si parcitis, & vt ita dixerim, tunc parcitis, cum punitis.

O robustissimum pectus, quod nulla queunt tela perfodere, nulla possunt spicula penetrare. O munitissimum Christi vallù, quod non impacti arietes diruunt, nulla machinarum armamenta conuellunt. Quanta hunc retributionis gloria nunc extollet in summis, quæ tanta tribulationis aduersitas pressit in imis? Nunc enim cum ignitis beatorum spirituum cœtibus emicat, cum trabeat in senatoribus curiæ cælestis exultat, cum patriarchis in aureo sublimiter solio inthronizatus, cum purpuratis martyribus mirabiliter coronatus, cum his omnibus stola indutus gloriæ ineffabiliter emicat, & ante Imperatorem suum melodum alleluia perenniter iubilat. Quò, te precamur, martyr beatissime, vt nos manus tuæ orationis erigat, quos reatus nostri pondus inferius grauat, quatenus qui hæc tuæ virtutis præconia referre gaudemus, illic tuæ beatitudinis partem aliquam sentiamus: Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM SERMO TERTIVS VNDE SVpra.

Audiuimus hodiè, fratres charissimi, insuperabilem Christi militis fortitudinem, audiuius triumphalem Apostolici martyris passionem. Mirabilis in persequentibus pugna, mirabilis in persequo victoria. Illi enim ad expugnandum Christianæ militiæ strenuum bellatorem, non solum ferrea arma corripunt, sed ignes, aquas, ligna, lapides, & vniuersa penè elementa armorum materiam faciunt, & in præliandi argumenta conuertunt. Iste verò quò acrius impugnatur, eò robustior inuenitur: & quò magis corpus per tormenta distenditur, eò magis fides augetur. Insuperabilis denique miles est, cui virtus ex vulneribus crescit, ex minarum terroribus animositas surgit. Noua & inaudita pugna est, vbi peregrinus expugnat urbem, incola ciuitatem, vnus populù, imbellis cunctù, inermis aciem, persona deicit legionem. Mirabilis & stupenda victoria est, vbi viuunt qui occidunt, surgit qui deicitur, vincit qui superatur, & postquam mortuus fuerit, omnem aduersæ partis aciem ad sui Imperatoris signa conuertit. Vbi mors euadit, cum subitur: vita incipit, cum finitur. Nouum litigium, vbi iudicio præsidet populus, & vnus deducitur iudicandus: vbi vnus innocens accusatur, multorum damnabilium cœsura depromitur, vbi iustus vapulat, reus dānat. Sed inter omnes beati Apollinaris non dicam iudices, sed carnifices, non Præsides, sed tortores, tua, Messaline, crudelitas luporum excedit rabiem, leonum exuperat feritatem. Nam post cruentorum verberum eadem, post patentium vulnerum multitudinem,

S. Apollinaris auro & adamantini comparatur.

Legat hæc, qui mendaciter afferunt, sanctorum animas post mortem non recipi celo.

Attende quot & quanta superabis tormenta.

Corpotalis mors, principium vitæ animæ nostræ.

Post eculei appensionem, post aquarum feruentium vstionem, os eius saxo contundi præcipis, & nouo tormenti genere verba verberibus punis. Ecce artifex sæuitia tua per effusam fellis amaritudinem noui te supplicij fecit authorem: & cæcatus per iracundiam mentis oculus illud excogitando nouo supplicio præuidet, quod sano consilio conspiciere vix valeret. Et reuerà quid tibi reliqua membra fecerant cum laniabas, cum cruciabas, cum torquebas, cum omnia immaniter & lupinis morsibus depalcebas? Ore te offenderat, ore te obiurgauerat, ore frontis tuæ inuerecundiam confutabat. Muta membra nil fecerant. Cur ergò, quod non admisit culpam, sustinet poenam? quod non læsit, cur læditur? quod non deliquit, cur vindicatur? Si vis ergò in reum districtæ sententiæ tuum proferre vigorem, verbum examinetur, verbum iudicetur, verbū verberibus torqueatur. Et quid plus dicam? Anima linguæ, quæ peccauerat, ipsa moriatur. Sed quid prodest, si in eum exerceas vindictam, in quo vindictæ nequeas compescere causam? Si enim contuderis os carneum, est qui interius fabricet aliud, quod quidem possis audire, sed nulla valeas animaduersione punire, ille videlicet, qui discipulis suis dicit: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui nō poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri: ille, inquam, qui dicit: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Luc. 21.

Matth. 10.

Cælitus depascitur sanctus Apollinaris.

Sed iterum in carcere horrifico clauditur, grauissimo catenarum pondere compeditur, in ligno extenditur, omni alimentorum sustentatione priuatur. Ad constrigendum quidem omnino carcer sufficeret, etiam si famis cessaret inopia. Sed cui terrena esca subtrahitur, cælestibus epulis enutritur. Et victus, quem iudicis impietas negat, Dei largitas administrat. Et quod non tribuit carcerarius, minister hominis factus exhibet Angelus. Angelus enim Domini nocte veniens ad eum, videntibus custodibus, pauit & confortauit. Quam deliciofa fame affligitur, qui cælestis promptuarij dapibus satiatur, cui cælum sit cellarium, cælestis promus exhibet ministerium. Quam feliciter miser est, qui dum terrenis eget impendijs, Angelicis fulcitur obsequijs, cui xenitū diuinitus mittitur, angelitus ministratur.

Eripitur à naufragio.

Sed o quam pulchrum spectaculum, & quanta spectantium admiratione dignissimum, cum tam strenuè dux Imperatorē sequitur, martyr Regē imitatur. Quis enim posset ab illius spectaculi visione satiatus abscedere, si ad videndū quod nō videbatur, clarum mentis oculum potuisset habere, cum cerneret inuisibilissimum bellatorē Christi, in carceris horrore conclusum, quem tam alacriter expectabat splendidissima aula regni cælorum? cum aspiceret ciuem cæli cum tanto triumpho de exilio ad patriam reuocari? cum videret Christi militem, tam potenter deuicto mundo, regna fideret penetrantem? Veruntamen adhuc differtur, adhuc in exilio retinetur, vt redoundi ad patriam magis ac magis desiderium augeatur: non enim cessat adhuc cruenta bestia totis malitiæ suæ viribus circa Christi martyrem insanire. Nam ecce iterum catenatus, sicut de carcere trahitur, in naui ponitur, in exilium mittitur: dein de tempesta oritur, naus frangitur, nauæ omnes naufragio moriuntur, beatus martyr cum tribus suis clericis & duobus militibus liberatur.

Sæuitia Messalini in Christi martyrem quanta fuerit.

Quid est hoc, Messaline? Cur iterum vesanis? Cur iterum deciperis? & amisso rationis consilio, quid irrationabiliter facias non attendis? Eia rogo, dic mihi, quis potest exulem in exilium mittere, quis peregrinum peregrè destinare? Antiochenus potest de Rauenna in exilium dirigi? Orientalis de occiduis sinibus deportari? Sed dum facis exulem, significas ciuem. Et cum iure postliminij reuersus fuerit, in vrbana conditionis titulos, quibus deportatus fuerat legibus remeabit. Et certè si vir sanctus exilium timuisset, Rauennam vsque de Antiochia non venisset. Postremò quæ longius ire compellis, cur catenarum nexibus non absoluis? Si vis tenere, cur mittitur? Si vis mittere, cur ligatur, maxime cum catenæ tuæ non magis nexibus ligent, quam ponderibus grauent? Eco ntrà vbi mare detumescit, tu inslaris: vbi ventus vim temperat, tu spiras: vbi Euris cessat, tu sufflas: quem procella metuit mergere, tu nō dubitas in eculeo subleuare: quem frigida vix audet vnda perfundere, tu non times aquis feruentibus elixare. Furor tuus omnium beluarum excedit sæuitiā. Stoliditas tua ipsam insensibilium rerum exuperat ignorantiam. Interroga nautas tuos, disce furores tuos. Ecce vbi ipsi vix tandem laborando solutis brachijs pereunt, nostri ligati iacendo, & absque vlla molestia sui laboris, euadunt. Milites autem, & si non pereunt, tibi tamen funditus pereunt. Nam iure dicendi fideles transfugæ, vtpotè venientes ad fidem, abiuratis Præsi-

Præfidis armis, sequuntur militiam exulis. Aiunt enim ad eum milites: Domine pater, quò ibimus? quid faciemus? Quibus ait: Baptizamini in nomine Iesu, & viuetis. Qui statim renunciantes idolis baptizati sunt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Nos autem, fratres dilectissimi, qui veritatem iterū, Deo authore, recognouimus, qui tot virtutum insignia præ oculis posita ad exemplum imitationis habemus, studemus ad illam beatitudinem omni desiderio tēdere, in qua iam nouimus triumphatores mūdi de laborum suorum remuneratione gaudere. Eorum vestigia teneamus in via, quorum societatem habere desideramus in patria. Profectò illic erimus quod sumus, si hīc fuerimus quod fuerunt. Nam si compatimur, & conregnabimus: si comorimur, & conuiuemus. Et si complantati facti sumus similitudini mortis Domini, similes & resurrectionis erimus. Non ergò diuidamur in itinere, si iungi volumus in peruentione: non abhorreat momentanea potiois amaritudinem bibere, qui ad perpetuam incolumitatis dulcedinem desiderat peruenire. Qui vult adscribi inter milites Christi, nunc se accingat viriliter ad conflictum, vt post peractam militiam, beatam quietis accipiat nuncupatum: nunc se præparet congregi, vt meritò valeat post victoriam coronari. Non enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Nam delictus est miles, qui prius vult vincere quàm incipiat dimicare, qui vult sine pugna victoriam, aut sine victoria anhelat ad palmam. Stultus autem agricola, qui vult turgentes vuarum botros de vite suauiter carpere, & negligit propaginū furculos laboriosè plantare: cupit implere frugibus horreum, non curans excolere inhorrescentē vepribus agrum. Sic, fratres mei dilectissimi, angustam nobis expedit & asperi laboris viam cum sanctis in hoc seculo carpere, si postmodum volumus ad eorum gaudij latitudinem peruenire. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulare & ipse ambulare. Proculdubio autem à vestigijs Christi exorbitat, qui angustam fugiens, latitudinis viam calcat. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Ecce beatus Apollinaris, cuius hodiè nobis festiua dies illuxit, non terrenos honores voluit, non fallaces diuitias congregauit, non mundi gloriam petijt, non transtorie possessionis pradia dilatauit: propinquos spreuit, patriam dereliquit, semetipsum quoque funditus abnegauit. Ad extremū quoque per ferrum, per gladios, per tela, per ignes, per nouas & innumeras mortes regna siderea penetrauit. Sic in sanctis luce clarius manifestatur, quod per Veritatem in Euangelio dicitur: Quia regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.

Neque tamen hoc dicimus, vt illi solummodo cælestibus digni præmijs habeantur, qui persecutorum gladijs feriuntur. Sapè enim multi perfectæ & laudabilis vitæ viri, toto mentis desiderio ad martyrij voluerunt culmen attingere, sed quia diuina prouidentia aliter sensit, in suo gradu coacti sunt remanere, qui etiam si nequaquam fuerint per martyrium cōsummati, à martyrij tamen gloria minimè sunt alieni. Nam & sancti Apostoli beati Apollinaris, Adheritus videlicet, & Calocerus, Matianus, & Eleuchadius, licet nequaquam carnificū gladio sint percussi, à martyrij tamen desiderio nullatenus creduntur fuisse extranei: sed omnipotens Deus, qui eos ante secula clementer elegit, in quo voluit ordine profunda consilij sui dispensatione constituit: quæ quauis sit nobis occulta, nullo modo tamen credi debet iniusta: quauis sit in cōprehensibilis, nullo modo tamen cēsenda reprehensibilis. Architectus cum parietē domus ædificat, alios lapides in imis æqualiter cōstruit, alios in summis artificiosa sublimitate cōponit. Sed dum illi superius eminent, isti inferius iacent, cōcordi diuersitate vnum simul complent. Sic peritus artifex cum aurea vel argentea vasa componit, alijs diuersas sculpturas & imagines imprimit, alia verò solummodo polita ex studio derelinquit: vt dum in his, hoc est simplicibus, naturalis color clarius rutilat, in illis verò anaglyphi sculptoris ingenium ars studiosa commendat, spectantium oculos pulchra ad se rerum varietas trahat. Indumentorum quoque regalium alia videntur conchylij vel muricis sanguineo rubore perfusa, alia verò niuei coloris nitore candentia. Sed dum ex propria qualitate inter se admodum differunt, vnam tamen dignitatem de eo, quod communiter contegunt, corpore Regis trahunt. Sic nimirum omnipotens Deus, dum electos suos ad vnius felicitatis gradum prouehit, Ecclesiæ suæ corpus per varia membrorum lineamenta distinguit. Hinc est enim, quod per Apostolum dicitur: Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdā autē Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autē Pastores & Doctores, ad consummationē sanctorū in opus ministerij in ædificationē corporis Christi. Sed licet varia sit diuersitas transf-

Sacti in cæs-
lis iam de
sua remunera-
tione gau-
dent.

2 Tim. 2.
Rom. 6.

2 Tim. 2.

1. Iohan. 2.

Act. 14.

Matth. 17.

Duo sunt
martyrij ge-
nera: corpò-
rale scilicet,
& spirituale

Varia eccle-
siæ membra

Ephes. 4.

eun-

euntium, vna tamen est via, per quam transitur, illa nimirum, quā Veritas se sequentibus sternebat, cum diceret; Angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingradientur per eam. Hanc viam ipse Dominus tenuit, per hanc quicumque eum sequi voluerit, incedere iussit. Hanc viam sancti martyres omni studio tenuerunt, antequam ad martyrium pertingere meruissent. Angustam quippè viam perfectè tenere est, voluntates proprias in omnibus frangere, & maioris imperio humiliter obedire. Quisquis autem per proprii arbitrii latitudinem defuit, pedem mentis ab angustâ viâ semita declinavit. Sed tanto per hanc suum iter plenius dirigit, quanto se arctius in ligno clavis obedientiæ crucifigit.

Sed quando ad ædificationem nostram, dilectissimi, huius tam præcipuæ virtutis exemplum ponere volumus, quia de nullo citius occurrit, hunc, de quo agitur, beatum Apollinarem ad medium deducamus. Ut enim iam audistis, in ipso gestorū illius narratur exordio, quia beatus Petrus Apostolus ait Apollinari discipulo suo: Quid sedes nobiscum? Ecce eruditus es de omnibus quæ fecit Iesus. Surge, accipe Spiritum sanctum, simulque Pontificatum, & perge ad urbem, quæ vocatur Rauenna: multitudo enim populi illic moratur: prædica eis de nomine Iesu, & nè formidaueris. Et paulo post subiungitur: Et osculans eum, emisit à se. Parendite, fratres mei, quàm liberam in magistro præcipiendi auctoritas, quàm deuota in discipulo obediendi humilitas: quàm promptus ille fuit ad imponendum imperij iugum, quàm iste paratus extitit ad submittendum obedientiæ collū. Ille iussionis suæ seueritatem blandiendo non temperat, iste tanti laboris sarcinam non recusat. Solent mūdana eloquentia eruditi, locutionē suam rhetorici coloris suauitate componere, & quæque difficilia, cum volūt, blandis & exquisitis verbis leuia demonstrare: vt si quando graue aliquid imperant, auditorem ad sua vota conuertant. Beatus verò Apostolus non blanda verba composuit, non rei euentum prosperum repromisit, sed rem difficilem simpliciter imperauit. Inter hæc illud etiam ad mentem redit, quod Dominus Abraham, dissimile quidem, sed non dissimiliter iussit: Tolle, inquit, filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum. Sufficeret nanque Domino dicere, Tolle filium tuū, sed adiungit, Quem diligis Isaac: vt reducta patri ad aures dilectione filij, probaretur in animo quantus viueret amor Dei, quatenus audira dilectio filij paternum pectus accederet, sed rursus exuperante diuini amoris flamma, semetipsum obedientię gladio maectans, in ara cordis verius immolaret. Hoc etiam modo beatus Apostolus, cum discipulo suo diceret, Perge Rauennam, ac si terrorem sibi vellet incutere, protinus addidit, Multitudo enim populi illic moratur.

Poterat autè beatus Apollinaris magistro suo verbis huiusmodi respondere? Multitudinem populi dicis, & vnum cōtra multitudinem dirigit? Multa esse hostiū agmina ipse nō negas, & vnū inermem hominem contra eos mittere non formidas? Quomodo pugnabit nuda lingua vnus hominis aduersus armatas manus aduersarię multitudinis? Quid poterit imbellis peregrini persona aduersus tot frementium ciuium agmina? Non bene coaquatur pugna, vbi ex vna lingua iaciuntur verba, & ex innumeris manibus incutiuntur verbera: vbi hinc emittuntur sermones, inde euolant verbera. Saltē vnū mihi socium dares, solatium ram irremeabilis peregrinationis, vel etiam ipsius prædicationis adiutorem impēderes. Nam & ipse magister tuus Dominus Iesus Christus, cum vos ad prædicandum mitteret, semper, prout opus erat, vobis solatium adhibebat. Euangelista quoque, qui illū septuaginta duos destinasse ad prædicandum narrat, non vnum, sed binos ante faciem suam misisse pronunciat.

Hæc & multa huiusmodi excusationis verba beatus martyr potuisset obtendere, si indomita ceruice mentis iugum voluisset obedientiæ detrectare. Veruntamen non restitit, non contradixit: sed mox vt iubentis accepit imperium, omnino credidit necessarium, quod sibi per os magistri ab ipso Domino cognouit iniunctum. Et vt per omnia in virtute obedientiæ beatus Apollinaris Abraham similis videatur, sicut illi Deus præcepit dicens: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi: qui nihil hasitans paruit? Sic & iste mox vt verba Apostolicæ iussionis accepit, protinus ad obediendum spe certa animum roborauit. Et quod docturus erat verbo, operis præmonstrauit exemplo. Hoc denique studuit humiliter exhibere subiectus, quod iuste accepturus erat & ipse prælatus. Et, sicut de Domino legitur, prius cœpit facere, & postea docere: vt in semetipso expertus disceret, qualiter accepta potestatis auctoritate, alijs imperaret.

Sed

Matth. 7.

Angustam
via perfectè
tenere, quid
sit.S. Apollina
ris Rauennam
mittitur.

Gen. 22.

Luc. 10.

Nō est præ
ceptis Super
riorum cō
tradiciendū
sed simplici
ter obediē
dū, quia Do
minus per
eos loqui
tur.

Gen. 12.

A. 1.

Sed quàm pulcher diuinæ dispensationis ordo cognoscitur, si huius rei dignitas pro
sui merito studiosè pensetur. Nam qui ab Adam primum inobedientiæ vitium malè
instructi didicimus, primam obedientiæ virtutem ab hoc beatissimo martyre edocti
sumus. Et sicut ille inter cætera vitiorum germina primam inobedientiã, nõ loquen-
do, sed præuaricando, carnalem sobolè docuit; ita iste inter alia documeta virtutum,
in primis obedientiã, non loquendo, sed faciendo, filios spirituales instruxit. Qui ergo
inobediendo à supernæ patriæ sublimitate cecidimus, ad hanc versis vestigijs per obe-
dientiam de exilij nostri deiectione redimus. Hinc est enim, quod per Veritatem di-
citur; Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eijciam
foras. Qui enim ad primum Adam veniunt, ab intimis exire per inobedientiã di-
scunt. Secundus verò Adam factus obediens vsque ad mortem, mortem autem cru-
cis, in eo, quòd ad se venientibus exemplum obedientiæ tribuit, eos à paradisi gaudijs
non expellit.

Iohan. 6.

Phil. 2.

Ad hæc gaudia, dilectissimi, redire festinamus, non passibus pedum, sed bonorum
profectibus operum. Nondum seculum fortasse reliquimus, nondum abrenunciato-
rum more vnum præ cunctis, cui obedire debeamus, elegimus, hæc tamen virtutem,
per quam præcipuè ad cælum reditur, obedientiam dico, habere cum Dei adiutorio
possumus. Neque enim de renunciatoribus Saul fuerat, qui ab irato cõtra eum Samue-
le audiebat; Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & nõ potiùs vt obedia-
tur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victima. Quisquis ergo perfecte
vis hanc habere virtutem, esto obediens Deo, nec tamen sis inobediens proximo. Vis
audire qualiter obedias Deo? Caue quod prohibet, neque enim vnum sine altero va-
let esse perfectum. Vis etiam audire qualiter obedias proximo? Cùm te frater tuus vi-
det in aliquod vitium delabentem, & corripit te in bono opere tepidum, & ad ferro-
rem te verbis charitatiæ exhortationis accendit, si non resistis, si nõ contradicis, sed
humiliter audis, & te ad id, quod vocaris, accingis, mox reditum tuum ad patriam, vn-
de inobediens deiectus fueras, per virtutem obedientiæ reformabis. Hoc itaque modo
etiam si non valeas pro Deo mortem subire, vales tamen vitam Deo amabilem du-
cere. Magnum quippè est mori pro Christo, sed non est inferius viuere Christo. Vtrū-
que enim in statera Paulus aqua lancependebat, cùm diceret; Siue enim viuimus,
Domino viuimus, siue morimur, Domini sumus. Dicis mihi Non possum inuenire
martyrium; Exhibe te martyrio dignum, & martyrij consequeris proculdubio præ-
mium. Non potes sanguinem fundere, potes temetipsum poenitentia telo percutere,
& in cordis contritione mactare. Præparetur ad feriendum iugulus, non decrit remu-
nerator, etiã si defuerit gladius. Deest carnifex, qui ceruicem exterius feriat, adest Iu-
dex, qui bonæ voluntati præmiũ reddat. Gloria enim in excelsis Deo, & in terra pax
hominibus bonæ voluntatis, Amen.

Si per bono-
rum profec-
tus operũ
ad paradisi
gaudia re-
dimus, pro-
fectũ sola
fides nõ suf-
ficit ad fa-
lutem, ve-
dicunt hæ-
retici.
1. Reg. 15.

Rom. 14.

VITA S. LIBORII EPISCOPI ET CONFES-
SORIS, GRAVITER ET BONA FIDE CONSCRIPTA, VT

testatur auctor ipse, cuius nomen MS. Codex non habebat; Claruit autem is
Auctor circa annum Christi noningentesimum.



QVANVIS multifariam modisq; ineffabilibus supernæ
bonitatis erga salutem humani generis pia dispensatio co-
gnoscatur, in hoc tamen maximis videtur clarescere indi-
cijs, quòd Ecclesiæ suæ in hac mortali conuersatione pro
aternæ vitæ præmio laboranti, tales eruditores defen-
sesq; prouidit, quorum doctrinis & exemplis informari,
quorum meritis & intercessionibus possit in perpetuum
adiuari. Omnib; enim, qui in procinctu fidei positi, ago-
ne militiæ Christianæ contra spirituales nequitas iugiter
colluctantur, quid utilius esse credatur, quàm illorum imi-
tandas præ oculis habere virtutes, qui in eodem agone le-
gitime certantes, perpetuam adepti sunt victoriæ coronam? Quid felicius, quàm eo-
rum precibus muniri, quibus cuncta, quæ petierint, præstanda veritas ipsa promit-
tit: De his enim loquimur, qui verè in Christo manentes, eiusque in se verba manere
facien-

Iulij. 25.
Cap. 16.

Eph. 6.

Iohan. 14.

Ff

- facientes, illud consecuti sunt primum, quod ipse promissit, dicens: Quodcumq; vo-
 lueritis petitis, & fiet vobis. Hoc equidem licet ad Apostolos specialiter dictum sit, per-
 tinet tamen nihilominus etiam ad alios quosque excellentia sanctitatis insignes, illos
 precipue, qui Apostolorum tam meriti, quam officij successione sublimati, perenni re-
 fulgent gratia sacri presulatus. In namq; tanto facilius a Deo qualibet impetrat, quanto
 ei & per puritate conuersationis, & per sublimitate sacri ordinis appropinquant. Nec
 dubium, quin plurimum illorum preces apud Dominum valeat: quorum ipse pote-
 statem ratum in celo terraq; valere concessit, vt quicquid hic ligarent, maneret ibi li-
 gatum: quicquid hic solueret, esset protinus ibi solutum. Praterea illorum officij di-
 gnitatem ipse inhabitator & consecrator eorum spiritus sanctus ostendit, qui per pro-
 phetam Malachiam loquitur, dicens: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem
 requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Hinc in Apocalypsi Iohan-
 nis, ecclesiarum presules non nisi angeli vocantur, signati per septem stellas, in Christi
 dextera demonstratas: Sunt enim stellae, quia virtutibus radiant: angeli, quia mandata
 diuina iussionis annunciant. Constat igitur, eos non parum transcendere modum in-
 firmitatis humanae, quos toties scriptura sancta non dubitat Angelos appellare. Ipsorum
 vero in ecclesia principes & primi propagatores, Apostoli fuerunt, qui post gloriosam Do-
 mini nostri Iesu Christi ad caelos ascensionem, iuxta promissionem ipsius, sancti spiritus
 infusione roborati, & scientia omnis veritatis instructi, in diuersas mundi totius pe-
 ne profecti sunt regiones, verbum salutis annunciantes vbique, & tam miraculorum
 signis, quam praedicationum hortamentis, id in breui efficientes, vt, quemadmodum
 egregius olim Propheta praecinuit, in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines
 orbis terra verba eorum. Ex eorum igitur salutaribus caelestibusq; doctrinis, quas ab
 ipso fonte veritatis largiter hauserant, Ecclesiasticorum ordinum regula, diuini cultus
 institutio, & tota catholicae religionis obseruatio sumptit exordium.
- Post quos multi per orbem ecclesiarum presules, illorum in omnibus vestigia se-
 cuti, & eorum non minus virtutum gratiam, quam ordinis dignitate adepti, eandem
 tenuerunt in fide sinceritatem, in moribus sanctitatem, in doctrinae studio vigilan-
 tiam, qua & fidelium mentes corrigerent, & infidelium mentes ab errore conuerterent.
 In quo plures eorum ratum Domino placuisse noscuntur, vt clarissimis vsque hodie
 miraculis coruscare videantur. Ex quorum collegio glorioso vir magnificus & inco-
 parabilis exitit sanctitatis Liborius, ecclesiae Cenomanicae presul, cuius modò pro-
 posuimus vitam & transitum breuiter commemorare: vtile ac fructuosum fore legen-
 tibus arbitrati, eius vitam actusque cognoscere, quem sequendo, possint in diuina ser-
 uitate proficere. Eius etenim vita nihil aliud erat, nisi quoddam caelestis conuersatio.
 nis indicium, Christianae religionis exemplum, virtutis ac fidei documentum. Vnde
 quonia ipse Dominicum illud impleuit preceptum: Luceat lux vestra coram hominibus,
 vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est: nobis in vite
 mortalis errore degentibus enitendum valde solerti imitatione videtur, vt qui vitio-
 rum & ignoraetiae tenebris obscuramur, lucis huius bonorum eius operum radijs illustre-
 mur. Nec nos quisquam existimet in eius laudibus a veritatis aut moderationis trami-
 te deuiare, cum nulla, nisi a veracibus scriptis seu relatiõibus comperta, proferamus,
 nec eum dignè a mortali lingua posse laudari, ipse cum quo nunc immortaliter regnat,
 Deus visibili palam ostensione declaret. Testatur namque, cunctis eum virtutibus atq;
 omni vite merito acceptum sibi fuisse viuentem, dum defuncti reliquias euidentissi-
 mis miraculorum signis frequenter glorificare non desinit. Ex quo datur intelligi, haec
 eum gratia nequaquam in praesenti vita caruisse, quanuis inde specialia literarum in-
 dicia qualibet ex causa non habeantur. Siue enim, quod familiaris sanctis omnibus
 semper humilitas persuadet, vt ea, quae sibi ante humanos oculos laudi & gloriae vide-
 ri valent, celari abscondique desiderant, hoc ipse praeter ceteris obtinuerit: siue gesta si-
 gnorum virtutumq; illius descripta quidem plenius, sed casu quolibet posterorum no-
 titiae subtrahenda fuerint: siue aliud quid causa fuerit ignorantes, liquidò tamen credi-
 mus, eiusdem sancti spiritus gratiam qui toties ante eius sacrosancta pignora pracla-
 rum sui charismatis donum, operationem scilicet virtutum, ad ipsius demonstranda
 merita exhibere dignatur, eidem quoq; in carne posito minime defuisse. Non tamen
 defunt etiam certa de eius meritis apicum monimenta. Habentur etiam gesta ponti-
 ficum eiusdem, cui praesuit, ecclesiae Cenomanicae, simplici cloquio & absque omni
 nauo figmenti, fidei narratione contexta: in quibus non plena alicuius eorum vite
 series

Cap. 5.

Honor in illo nō nūrat mores optimos.

Eius exercitia.

1. Cor. 9.

1. Cor. 2.
2. Tim. 4.

Vitā ornāt doctrinam.

Tob. 4.

Galat. 5.

Sap. 2.
Prouer. 19.
Rom. 12.

Iacob. 2.

2. Cor. 7.
2. Cor. 9.
Ephes. 5.
Matth. 6.
Luc. 12.

Cap. 6.

Malac. 2.

Multos à vitijs & erroribus reuocat.
Cant. 1. 2. 4.
37.

Item Cant. 7. 4. 7. 5.
Doctores Ecclesie prædicantur.

Dan. 12.

Suscepto verò sacerdotio, nihil ex studio sanctitatis, quā prius exercuerat, dereliquit, sed tanquā lucerna super candelabrū posita, ita ille diuina luce repletus, quo in eminentiore constitutus est loco, eo latius in domo Dei collata sibi gratia notitia refulgēbat. Neque illum tantæ dignitatis honores solitæ religionis mutare fecerant mores, nec ecclesiasticorū occupationes negotiorū quicquā ex quotidiana diuina laudis & placationis seruitute prætermittere coegerunt. Quinimmo tanto eam instantius ad augere curauit, quāto iam nō suæ solius, sed multarū animarum salutis causa rectè se viuere debere sciebat: quibus frustra videbatur præesse, si non studeret etiam monitis exemplisq; prodesse. Ob hoc igitur, nullius momenti spatiū ociosè transigere volens, semper erat vtilibus intentus actibus, nunc lectioni diuinarū scripturarum operā impendens, nunc orationi prolixius incumbens: interdum etiā rerum exteriorū dispositioni, prout suo conueniebat officio, prudenter consulens atq; prospiciens. Assidue verò vigilijs & ieiunijs castigabat corpus suum, & in seruitutē redigebat, nē alijs prædicans, ipse reprobis inueniretur. Erat enim prædicationis studio valde intentus, & tanquā se nō solum gerere officiū Apostoli, dicentis: Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare: atq; ab eodē audire: Prædica verbum, in sta opportune, im. portune: ita ipse quotidie modis omnibus auditores suos ad vitæ rectitudinē prouocabat. Cuius præcepta & monita id maximè populo grata & amabilia faciebat, quod eius vitam in nullo doctrinæ contrariam depræhendebant: sed quod illis sectandum asserebat, euidenter in eius moribus agnoscebat. Verbi gratia: qui elationem velut initium omnis peccati cauendam penitus ab illo sæpè didicerant, nullum eius indicium in illius actibus, & habitu, in vultu, in gestu corporis, in sermonis vsu sentire potuerunt. Audiebant ab eo: Non efficiamur inanis gloriæ cupidi: videbant eum verè pauperem spiritu, nunquam nisi in Domino gloriari. Audiebant ab eo, quod inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarū, & Putredo ossium, inuidia. Videbant eum affectu beneuolentiæ gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: aliorum prospera vel aduersa, sua æstimare. Audiebant ab eo: Ira enim viri, iustitiam Dei nō operatur: videbant eum, omnem ostendentem mansuetudinem ad omnes homines. Audiebant ab eo: Seculi tristitia mortem operatur: videbant eum esse hilarem datorem. Audiebant ab eo: Seculi avarum esse idolorum seruitorem: videbant eum rerum suarum erogatione largiflua thesaurizare sibi thesaurum in cælo. Deinde si quis eius parsimoniam, strenuitatem castitatemque attenderet, non alijs ad fugiendam vitiorum corporalium labem admonitionibus indigeret.

Ita pius gregis Dominici pastor, commisisit sibi ouibus adhibita cura duplici, exhortationibus scilicet & exemplis, iter ad æternæ vitæ pabula quærenda, & spiritualium morborum dira contagia vitanda demonstrans, tantum ex eis lucrum acquisiuit, ut quod voce Dominica per Malachiam dicitur, de illo conuenienter valeat dici: Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Verè enim multos ab iniquitate conuertens, & rectitudini vitæ fideique restituens, inter sanctos Ecclesie Christi doctores præclarum obtinet locum: quorum multimodā gratiam & infinitam meritū excellentiam ipse verus eiusdem Ecclesie sponsus, in Canticis canticorum multiplici laude prosequitur: nunc eos ipsius sponsæ collum, monilibus assimilatū vocans: nunc tigna cedrina & laquearia cypressina cognominās. Interdum labia, vitæ cocconæ, propter prædicationem passionis Christi, similia, seu fauum dulcedinis verbi Dei stillantia: nonnunquam turrim David, ob constantiæ firmitatem, eos appellans: Aliquando verò ibidem, ob nutrimentum paruulorum, quibus lacte opus est, mammae dicuntur. Aliquando fauo simul & vino: aliquando decori turris eburnæ comparantur: Plerumque portæ Ecclesie nuncupantur: & propter variā vtilitatem, firmitatem, prouidentiam, contemplationem, dentium & oculorum nomine designantur. Præterea ipsi sunt sexaginta fortes, Salomonis lectulum ambientes: ipsi columnæ argenteæ, sacri eloquij nitore fulgentes. Quarum omnium similitudinum si quis mysteria perscrutetur, profectò inenarrabilem huius sanctæ Ecclesie doctoris & eius similitum gratiam dignitatemque reperiet: cum satis indicent hæc pauca, de pluribus ex illo cælesti epithalamio sumpta, quod nihil his illustrius, nihil pulchrius in sponsæ laudibus decantandum spiritus sanctus inuenit. Qui etiam de eisdem per Danielem ita loquitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed quoniam huius clariss.

clarissimæ stellæ in erudiendis subditis feruorem pariter & splendorem ostendimus, quibus virtutum radijs in alijs quoque rebus effulserit, monstrare curemus.

Cap. 7.
Cultus diuini promouendi, quâ fuerit studiosus S. Liborius.
Noua oratoria cur extruunt.

Habuit vir sanctus hoc præ cæteris tum temporis pontificibus, religionis & Dei amoris indicium speciale, quod omnia, quæ ad eius laudem iugiter celebrandâ & ecclesiastici cultus officium pertinent, totis nisibus amplificare, prouehere atque adornare contendit: & exceptis his, quæ sibi suisque ad quotidiani victus & vestitus necessaria, quibus solis contentus erat, vix sufficere poterant, necnon & his, quæ ad egentium & inopum sustentationem larga manu solebat expedere: reliquos omnes redditus episcopi debebantur, vel si quid ex fidelium donationibus conferebatur, ad exhibendum ecclesijs congruentem ornatum, & noua quaque oratoria in locis, quæ ad hoc opportuna videbatur, construenda deputauit. Quorum constructionem primùm diuinæ seruitutis multiplicandæ intuitu aggrediebatur: dehinc etiâ plebium comoditati pariter & salutis prospicere piè meditabatur, vt ad ecclesijs cum suis sacerdotibus propè positas facile confluere, orationum studijs assuescere, regenerationis gratiam consequi, documenta sacra legis audire, cælestium sacramentorum celebrationibus interesse, atque omnia Christianæ religionis iura discere & exercere valerent. Nec quenquam vilius molestia seu occupationis impedimentum exinde reuocaret, quò vniuersos ad salutem animarum quarendâ ipsa loci opportunitas inuitaret. Hac igitur intentione præter illas, quæ à suis prædecessoribus fabricatæ fuerant, decem & septem sacris ædificibus nouiter constructis & dedicatis, suam parochiam ita omnè illustrauit, vt in quolibet eius parte populo degenti aliquam orationis domum vicinam esse constaret. Locorum verò, in quibus eas construxit, hic nomina ponere dignum ducimus, quò religiosi operis memoria firmior, & fides certior habeatur. Vnam itaque ædificauit in Colino, alteram in Syluiaco, tertiam in Raudatio, quartam in Campogenesto, quintam in Conedaco, sextam in Aciaco, septimam in Aloncianno, octauam in Sanguno, nonam in Sabonario, decimam in Bona, vndecimam in Lucia, duodecimam in Lugduna, tertiamdecimam in Marsone, quartamdecimam in Paliaco, quintamdecimam in Magitto, sextamdecimam in Nouiliaco, septimamdecimam in Commis.

Septemdecim ædificauit ecclesias.

Loca, in quibus factas ædificauit ad eas.

Vult vt in suis ecclesijs quotidiana celebrentur officia.

Quibus ritè perfectis & decenter adornatis, ac sacerdotum & inferioris ordinis clericorum iugi prouidentia commendatis, obseruandum omninò censuit, nè qua ibidem legitimis horis die noctuque, sacròrum intermissio fieret officiorum, quibus sanctæ & indiuiduæ Trinitati debita gratiarum actiones & laudes referrentur. Deinde vt vnitati & concordia totius populi commissi consuleret, atque omnia illius dioceseos loca Deo dicata, cum vniuersis ad se pertinentibus antiquæ & principali suæ sedis ecclesiæ, velut vni capiti & matri omnium, subdita monstraret esse debere, decreuit vt illuc ex reliquis omnibus ecclesijs per annos singulos census persolueretur, certus scilicet numerus librarum caræ atque olei prout illis offerendi facultatem supererere sciebat. Ac equum tamen omnibus eisdem locis debitum imposuit: hoc est, vt ex vnoquoque rediretur vna cera libra, & olei duæ, præter id, quod custodibus præfata principalis ecclesiæ dari constituit. Ex quo verè sancta & religiosa intentio beati viri satis apparet, quòd non sibi aurum vel argentum, seu quodlibet earum rerum, quæ mūdum amanti- bus præciosa, ipsi verò velut cælestia desideranti omninò erant contempnibilia coaceruauit: sed ea magis ecclesiæ dari constituit, quæ ad luminaria iugiter in ea concinnanda copiam darent. Nam quoniam ipse fuit templum veri luminis, hoc est, spiritus sancti, etiam corporalis lucis ornatum manufactæ domui Dei noluit vnquam deesse.

Vult perpetuò in Ecclesijs luminaria ardere.

Cap. 8.
Duturnus eius episcopus & ordinationes.

Mansit autem in Episcopatu annos quadraginta & nouem: in quibus fecisse legitur ordinationes nonaginta & sex, ordinasse verò presbyteros ducentos decem & septem, diaconos centum septuaginta sex, subdiaconos nonaginta tres, reliquorum quoque graduum ministros, quantum sacris officijs congruum & sufficiens esse videbat. Præterea habuit bonum testimonium etiam ab his, qui foris sunt, ita vt hoc quoque specialiter de illo referant scripta, quòd studuerit Deo in omnibus dulciter famulari, & in rebus ecclesiasticis Deo & hominibus bonis oppidò placere. Vndè liquido patet, sic cum religionis constantiam ante Deum seruasse, vt tamen proximorum oculos non offenderet: sic humano foris placuisse iudicio, vt diuinis obrutibus non displiceret in occulto. Ità per omnia verus Dei cultor illi merito Pontifici comparatur, quem sine querela Domino seruisse euangelica laudat historia: nisi quòd hic tanto præstantioris fuerit sacerdotij præful, quanto figuram veritas, quanto legem vete-

Luc. 1.

rem noua Christi gratia transcendit. Illo deniq; praesulatu functi, animalium cruores immolabant: huius sacerdotij primus author & pontifex, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta. Et tamen in officio dispari fuere pontifices isti, sanctitate patres, ambo euangelica laude digni, ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.

Luc. 7. datis & iustificationibus Domini sine querela.

Cap. 9. Cum autem diuina maiestati complacuit, post tam diuturna tot annorum certamina, victorem hostis antiqui, militem suum aeterno premio glorificare, anno quinquagesimo Episcopatus sui corporis eum molestia ita fatigari permisit, ut adesse sibi diem exitus sui non dubitaret. Qui annus illi verus exiit iubilaeus, quem in eodem numero annorum remissionis appellans, vnumquenque in eo redire ad familiam, & ad possessionem suam lex diuina praecipit. Nam & ipse quo minus se dubitaret ad requiem tendere, post septem septimanas annorum, ex quo constitutus est super familiam Domini, adhuc in terris positam, ad eam, quae in caelis est, laetus vocari meruit: ut possideret terram, quam mansuetis & mitibus veritas repropmiserat.

Matth. 5. Eodem tempore sanctus Martinus Episcopus Turonensem regebant ecclesiam, vir Apostolicis claris omnino virtutibus. Cui inter illa, quibus assidue frui solebat, Angelica colloctionis mysteria, etiam hoc ex diuina reuelatione praecipit, ut ad urbem Cenomanicam pergeret, atque ibidem in infirmitate positum Dominum visitaret. Vnde animaduertens, hanc Domini infirmitatem de aliquo membrorum suorum intelligendam, de quibus ipse dicturus est in iudicio: Infirmitas fui, & visitatis me, coepit illico festinus ad memoratam pergere ciuitatem. Cui cum iam appropinquans, iuxta vineam quandam iter ageret, vidit eminens in ea stantem clericum gradu subdiaconum, Victurium nomine, operi quidem, quodcumque ibi agendum erat, studio, sius insudantem, sed nihilo minus frequentatione psalmodiae laudes decantantem. Hic erat discipulus sancti Liborij, atque in ipsa sua continentiae mentisque & habitus humilitate, bonae institutionis magistri optimi clarum praebat indicium. Quem inueniens sanctus Martinus, reuelante sibi spiritu sancto hunc esse futurum ibi Episcopum, his eum verbis salutauit, dicens; Aue noster pontifex. Dehinc illi baculum suum detulit, atque ita conuerso gradu, in urbem properauit. In qua inueniens sanctum & verum Deo dilectum praesulem iam in extremis positum, & caelesti tantum gaudio, quod iturus erat, intentum, cum ineffabili ab eodem laetitia susceptus est. Hic vero necesse est, ut noster sermo deficiat: quia neminem dignè constat posse referre, quam diuina, quam spiritalia, quam caelestia fuerint eorum colloquia, cum qua se exultatione mutuo viderint, quo meritis affectu suam ad tempus separationem ferre potuerint. Erant enim ambo Christi militum excellentissimi duces, ambo crebris de diabolo triumphis gloriosi. Sed alteri iam reddendum erat premium sempiternum, alteri aliquandiu differendum, & adhuc pro castris Dei fuerat decertandum.

Cap. 11. Igitur beatus Liborius, praesente sibi tanto consolatore, suarumque exequiarum pro uisore, decimo Kalendarum Augustarum die laetus migravit ad Dominum. Cuius venerabile corpus sanctus Martinus cum honore congruo ad ecclesiam extra urbem positam duci, & in ea sepeliri fecit: quam primus eiusdem sedis antistes, Iulianus nomine, construxit, & in honore duodecim Apostolorum dedicauit. Decebat enim, ut qui Apostolorum in terra successor, & in caelis esse meruit confors, in eorum quoque ecclesia communi cum illis memoria coleretur. Sequenti vero die vir Dei Martinus populum omnem, qui ad tanti viri exequias copiosus nimis & innumerabilis conuenerat, & internum amorem erga pastorem suum largissimis lachrymarum fontibus testabatur, in ecclesiam conuocans, sanctae admonitionibus doctrinae consolabatur, eisque praefatum Victurium ordinauit Episcopum. Tradunt quoque litera superius memorata, multa quidem sanctum Liborium in hac vita fecisse miracula, sed multa plura postmodum ad sepulcrum eius fuisse diuinitus ostensa, licet ob multitudinem suam, nominatim expressa non sint. Quod nos facile credimus ex his, quae oculis nostris videre meruimus, postquam ad nos sacrum translatum est corpus, sicut adiuuante Domino, sequens huius operis textus enarrabit. Nam quoniam ipse verè fuit organum spiritus sancti, per ipsius nunc operationem ante eius reuerenda pignora virtutum signa saepius ostenduntur: curationes scilicet debiliū, salutes languentium, expulsionem immundorum spirituum, praestate ipsius gratia, qui est fons & origo bonorum omnium, Deus & Dominus noster, qui in Trinitate inseparabili uiuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

Cap. 10. S. Martinus Turonensis Episcopus et contemporaneus.

Victorius S. Liborij discipulus. S. Martinus Victurium praedicit fore Episcopum.

S. Martinus venit ad S. Liborium.

Cap. 11. Migrat ad caelos S. Liborius.

Iulianus primus Episcopus Cenomanorum.

Multa ad sepulcrum S. Liborij miracula.



DE TRANSLATIONE SANCTI LIBORII
EPISCOPI ET CONFESSORIS.

343



Es scriptis superiori libello vita & transitu præciosissimi confessoris Christi atque pontificis Liborii, hunc secundum tuam, Bispo præful egregie, iussione, ad exponendam seriem translationis eius sacratissimi corporis, & ostensa per eius merita virtutum insignia concessa diuinitus facultate, stylum mentemque conuertimus, excitante studio nostrum pensatione sollicita, qualiter vobis obtemperare, quantum deferre debeamus, maximè cum eorum officij dignitate sublimatos, quibus diuina voce dicitur: Qui vos spernit, me spernit: non dubitetur, vos minimè sine Dei contemptu posse contemni. Proindè ad retexendas cum laude debita virtutù operationes, per quas sancti spiritus gratia solet electorum merita declarare, eo, quo te præcipiente huic operi insistere debuimus, nullum opportunius tempus occurrit: appropinquante videlicet sacra solennitate aduentus eiusdem spiritus paracleti, qui beati Liborii & in hac vita manentis inhabitator apparuit, & nunc ipsius sanctitatis per miracula in dex & glorificator existit. Cuius nos ad susceptum opus auxilium haudquaquam inefficacibus votis inuocatuos speramus, præsertim cum non aliud, quàm quod ipse adueniens, mentibus, quas repleuit, ad proferendum inspirauit, Dei scilicet magnalia loqui, & ipsum mirabilem in sanctis suis monstrare conemur. Sed antequàm ad rei gesta ordinem veniamus, causam translationis memorata: atque exordium constructionis ecclesiæ, quæ tanto cælitus illustrari meruit thesauro, referre breuiter congruum arbitramur.

Cap. 1.
Hic Bispo
fuit 4. Epi.
scopus Pa-
derbornes.

Luc. 10.

A. 10. 1.

Igitur ubi primùm gloriosæ memoriæ Carolus Imperator concertatione longissima & varijs præliorum euentibus, cum gente Saxonum exactis, illos ferro edomitos Christi fidem suscipere fecit, suoque addidit imperio, clarum ilicò dedit indicium, qua fretus intentione, tam diuturnum laborè infatigabilis ferre potuerit. Siquidem, vt in libello vitæ ipsius legitur, triginta & tribus continuis annis bellum cum eadem gente gessit. Qua tadem partim armis, partim liberalitate, per quam maximè Primorum eius animos sibi deuinxerat, superata, totum exinde suum ad hoc contulit studium, vt pro tantarum saluatione animarum populi, post tot secula cultum dæmonum relinquentis, fructum sui laboris ex Dei remuneratione consequeretur. Et vt se magis Christianæ religionis, quàm regni sui dilatandi causa, tantæ rei difficultatem aggressum ostenderet, ecclesias per omnem regionem illam, ad quas rudis in fide populus confluere doceretur, & sacramentis cælestibus initiari consuesceret, sub quantâ potuit celeritate construi fecit, atque parochias diligenti ratione suis quasque terminis seruandas designans, quia ciuitates, in quibus more antiquo sedes Episcopales constituerentur, illi penitus prouinciæ deërant: loca tamen ad hoc, quæ & naturali quadam excellentia & populi frequentia præ cæteris opportuna videbantur, elegit. Tum verò vix reperiebantur, qui barbaræ & semipaganæ nationi præfules ordinarentur. Cuius interdum ad perfidiam relabentis cohabitatio, nulli clericorum tuta videbatur: cui ecclesiasticum officium, & quicquid ad rerum diuinarum pertinet cultum, non solum deërat, verùm ignotum omnimodis erat. Quòcirca vnâquamque prædictarum pôtificalium sedium cum sua diocesi singulis aliarum regni sui ecclesiarum præfulibus commendauit, qui & ipsi, quoties sibi vacaret, ad instruendam, confirmandamque in sacra religione plebem eò pergeret, & ex Clero suo personas probabiles cuiuscunque ordinis, cum diuerso rerum ecclesiasticarum apparatu, ibidem mansuros iugiter destinarent. Et hoc tandiù, donèc annuente Domino salutaris illic fidei doctrina conualesceret, & ita diuini vsus ministerij proueheretur, vt proprii quoque in singulis parochijs dignè & fiducialiter possent manere pontifices.

Inter omnia verò loca, constituendis principalibus ecclesijs in hac, de qua loquimur, prouincia designata, Paderbornensis sedes speciali quadam dignitate præcellit, habens amplissimam circumquaq; planitiem, nemorum tamen frequèri & varia diuersitate sufficienter ornata, agros vberes & frugum omnium feracissimos. Cui adiacet à læua in ipso mœnium prospectu sylua, multis passuum millibus in longum latumque diffusa, ad eò pecorum & armentorum pascuis, apiumque seruandarum vsui opportuna, vt illi non dissimilis videatur regioni, quam sacra litera vocant terram lacte & mellem manantem. Accedit ad ornamentum loci saluberrimorum fontium, intrâ ipsum

Cap. 2.
Carol. Ma-
gnus do-
muit Saxo-
nes.

Multas in
Saxonia ec-
clesias ex-
truit.

Saxonia ci-
uitatum in-
ops.

Cap. 3.
Paderbor-
nensis ec-
clesiæ enco-
mium.

Deut. 6. 11.

oppidum in vnum pariter alucini confluentium, incomparabilis tam species, quam numerositas: intantum, vt eorum latitudini & amenitati similes esse alibi minimè compertum habeamus. Nec desunt hinc inde & alia flumina, vtilitatum, quæ ab his petuntur, largissima. Aër ibidem & aura placidior, & licet in frigido terrarum tractu, naturali gratia temperatior, citius, quam in alijs illarum regionum partibus, maturitatem cunctorum fructuum afferre consuevit. Præterea pagus ipse, vt & nostra memoria, & veterum relatio testatur, viris omni nobilitate generis animiq; semper insignibus abundabat: vt non esset dubium, quin patria ciuibus, & ciues patriæ congruerent, ac sibi vtraque vicissim ornamento forent. Et hæc quidem pauca de pluribus, hinc à nobis non ex superfluo dicta animaduertet, qui Christianissimi principis ex hoc quoque in Deum deuotionem comprobabit, quòd ea, quæ ex tanta locorum amenitate iure belli acquisita, sub sua potuit tenere ditione, diuino magis seruitio, quam suis deputauerit vsibus. Tamen interdum, pro varijs gentis eiusdem vilitatibus generale placitum habiturus, illic populi conuentum fieri iussit, & hac ibidem causa aliquandiu solebat immorari.

Paderbor-nam vocat pagum.

Nota Caroli Magni religionè & deuotionè.

Cap. 4. Leo Pontifex venit Paderbornam.

Consecrat illic altare.

Nota de reliquijs B. Stephani.

Cap. 5.

Paderbornensis Ecclesia, aliquandiu Episcopis Herbipolensibus commendata.

Hathumarus primus Episcopus Paderbornensis.

Carolus Magnus Saxonum Apostolus. Eius laudes.

Cap. 6.

Nam & vir sanctissimus & verè Apostolicus Papa sedis Romanæ, Leo nomine, iusta ciuium odia perpeffus, illic cum adijs, pro sedandis contra se ortis simultatibus imperialem opem quæsiturus. A quo cum ingenti, vt par erat, honore susceptus, religiosum eius ac salutare Christianitatis dilatanda studium nobiliter inchoatum, Apostolica autoritate firmavit, atq; in ecclesia tunc ibidem nouiter constructa quoddam altare consecrâs, adorandas in eo reliquias protomartyris Stephani, quas secum Roma detulerat, collocauit, fiducialiter id principi promittens, quòd oratorium illud, tanti martyris patrocinio munitum, nõ vltèrius passurum foret iniuriam, quam ipso referente, prius ei contigisse cognouit: vt videlicet ob incolarum loci perfidiam & odium in religionem Christianam, aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maxime causam easdem reliquias ibi rogatu Imperatoris recõdidit, non sine effectu congruo fiduriæ sponfionisque suæ, cum nihil tale postmodum illic perpetratum esse, certissimum sit.

Hoc igitur ordine Paderbornensis ecclesiæ sedes episcopalis tam Imperatoria sanctione, quam Apostolica benedictionis autoritate primitus constituta, ob causam superius memoratam, commendata fuit aliquandiu tuitioni præfulum cuiusdam castelli orientalis Fraciæ, quod sermone barbaro Vuirzburg appellatur. Sub quorum regimine status rerum ipsius parum proficere potuit: quippe cum loca ipsa longa inter se terrarum intercedere distarent, & præfatos præfules rarò hanc nouellam ecclesiam inuisere, vel occupatio permitteret, vel commoditas suaderet. Neque enim ibi decrant negocia, quibus procurandis insisterent, neque huc pergendi laborem paruum faciebat itineris longitudo. Ibi res necessariae sufficientes erant & ordinatæ: hic & tenues, & cum difficultate nouiter ordinandæ. Quocirca meritò vtilius visum est, hanc sedem suam per se habere antistitem, qui nõ alibi occupatus, hic tantum agendis rebus præfens insudaret. Erat tunc temporis in Clero Vuirzburgensi vir magnæ humilitatis atque modestiæ, Hathumarus nomine, de gente nostra, hoc est, Saxonica oriundus: qui cum adhuc puer esset, belli tempore Carolo Imperatori obses datus, illic seruari iussus est. Vbi postea tonsuratus, ac studijs literarum traditus, in virum perfectum moribus & eruditione profecit. Hic ex præcepto principis primus est Paderbornensis ecclesiæ ordinatus Episcopus. Post cuius ordinationem paucis annis transactis, idem gloriosissimus princeps ab hac luce migravit. Cuius incomparabilem in omni virtutum gloria præstantiam licet libellus de vita eius conscriptus plenissimè referat, nos tamen hic aliquid de eo vel breuiter dicere, ipsius in nos beneficij magnitudo suadet. Quem arbitror nostrum iurè Apostolum nominari: quibus vt ianuam fidei aperiret, ferrea quodammodò lingua prædicauit. Qui cum totius victoria potitus, quoties in procinctu positus, multas sibi gentes, multa regna subiecit: constat tamen cum gloriosissimè etiam de diabolo triumphasse: cui tot animarum millia, prius sub eius tyrannide captiua, in conuersione nostræ gentis eripuit, & Christo Domino acquisiuit. A quo illum hoc recipere præmium & cõfidimus, & optamus, vt fruatur in cælis Apostolorum consortio, quorum functus est in terris officio.

Vt verò ad propositum redeamus, defuncto Carolo, Hathumaro quoque Episcopo non longo post tempore ab hac mortalitate ad perennem, vt credimus, vitam assumpto, successit ei vir egregius, nomine Baduradus: qui & ipse ex hac regione nobili or-

DE S. LIBORIO EPISC. CENOMANEN.

345

Baduradus
2. Epif. Pa-
derbornen-
egregius.

Sibi ortus profapia, ex eiusdem ecclesia Clero electus est. Qui præclaræ morum nobilitatis, magnanimitatis & industriæ merito, familiaritatem regiam intimè consecutus, tantæ dignitatis locum promeruit, ut ei non minor facultas, quàm voluntas amplificandæ, prouehendæ atque adornandæ ecclesiæ sibi commissæ suppetere videretur. Tunc verò, tanquàm ad hoc sibi datam diuinitus excellentiam animaduertens, nihil sui laboris studijque subtraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus, quæ ibidem ad diuinæ laudis augmentum, ad vtilitatem Christiani populi nouerat pertinere. Hæc illi cura prima imminēbat, ecclesias per omnem parochiam suam sub cele-

Multas ec-
clesias in
sua diocesi
construit.

ritate construere? principalem verò basilicam ingenti decore & grandi opere extolere, res omnes ad eam pertinentes modis varijs adornare, augmentare Clerum, disciplinam monasterialem instituire, pueros tam nobiles, quàm inferioris conditionis, in scholam congregatos, in diuinæ legis eruditione nutrire? Quod eius laudabile studium ita felix profectus comitabatur, ut verè illum ad hoc à Deo præsignatum, & rudimentis eius loci cælitis concessum dicere valeamus.

Quia verò rudis adhuc in fide populus, & maximè plebium vulgus, difficilè poterat ab errore gentili perfectè diuelli, latenter ad auitas quasdam superstitiones conlendas sese conuertens, intellexit vir magna prudentiæ, quòd si præcipui alicuius sancti illic corpus allatum, miraculorum, ut fieri solet, ostensione & gratia sanitarum suadente, multitudo plebis inciperet venerari, & ad eius patrocinia confluere consuesceret, nulla re eam faciliùs ab infidelitate posse reuocari: præsertim cum verbis doctorum de diuina virtute non credentes, tamen his, quæ oculis viderent, quæ beneficiorum vtilitate sentirent, fidem derogare non possent. Præterea cunctis fidelibus ibidem manentibus, vel eò conuenientibus magnæ hoc apud Deum intercessionis solatium, maximam eidem loco tuitionem & gloriam allaturum fore non dubitans, ad id obtinendum sedulæ cogitationis curam intendebat. Et quoniam à Deo, qui est fons bonitatis, quicquid optatur boni, & maximè rem tantam nouerat expetendam, iudicio ieiunio, & celebrata supplicatione publica, cum omnibus sibi commissis, ab eius clementia demonstrari sibi met postulat, quoniam ordine pro adipiscenda re desiderata deberet insistere. Vnde fidem eius benignè respiciens, dignatus est ei reuolare, quòd ad Cenomanicam urbem Galliæ rem diù optatam petitem ab Episcopo loci mittere deberet: ibi dandum votis eius effectum prosperum fore. Ex hac reuelatione indubia spe animatus, accelerare negocium studuit. Episcopus qui præfatam urbem eo regebat tempore, Aldricus nomine fuit. Ad hunc ergò cum consensu & præcepto Cæsaris Ludouici, nuncios destinandos elegit, ex Clero quidem suo probabiles personas, & in sacris ordinibus religiosam vitam ducentes: nec non & quosdam laicos nobiles, quorum fidem & industriam ad tale opus idoneam nouerat. Clericorum verò, quibus id negocij commendatum est, præcipuus erat quidam presbyter, Ido cognomine, qui omnem suam profectiois historiã & signa, quæ in ea diuinitus ostensa perspexerat, partim viua voce intimata, partim literis breuiter annotata, ad nostram fecit venire notitiam.

Cap. 7.

Vide quid
sentiedum
de sanctorū
reliquijs &
intercessio-
ne.

Diuinitus
iubetur epi-
scopus pe-
tere ex Gal-
lijs sacras
reliquias.

Igitur anno Dominicæ incarnationis octingentesimo trigesimo sexto, Indictione xiiii. cum præfatus Ludouicus tertium & vigesimum in imperio annum ageret, legati Paderbornenses de Saxonia profecti, ad urbem Cenomanicam quarta kalendarum Maiarum die venere: insinuantesque Episcopo causam, pro qua missi fuerant, benignè ab eo suscepti, Dei nutu, ut credimus, sine mora petita impetrauerunt. Sequenti namque die conuocans omnem Clerum, præfente suo quoque coepiscopo, Dauid nomine, tractare cum eis diligenter cœpit, qualiter missorum de tam longinqua regione venientium, religiosi precibus deceter in hoc posset annuere, ut sancti alicuius integros, ut petebant, artus accipere mererentur. Erat ibidem sanctorum corporum magna copia: inter quæ sancti Liborij quondam præfulis eiusdem urbis præcipuè glorificatum miraculis habebatur insigne. Quod cum Episcopus præfatis nuncijs dare disponderet, reniti primò cœpère plurimi, dicentes se illis pignoribus preciosius nihil habere. Tandem vix omnium impetrato consensu, assumptis secum sacerdotibus & cuiuscunque gradus clericis, sacri ministerij vestibus ornatis, missos quoque, qui sanctos artus accepturi erant, adesse præcipiens, processit ex urbe ad ecclesiam, in qua sacratissimum beati Liborij corpus digno cum honore conditum habebatur. Erat autem eadem ecclesia iuxta ciuitatem posita, & in honore duodecim Apostolorum dedicata, quam primus eiusdem sedis præful, nomine Iulianus,

Cap. 8.

condi.

*In reueren-
tia p̄scorū
Christiano
rum erga
sacras reli-
quias.*

condidisse fertur. Ad hanc itaque memoratus Episcopus, denunciato prius ieiunio, cū sacro illo comitatu humiliter ac deuotē, vt ad tale opus decebat, perrexit; vicissim psalmos, litanias, hymnosq; decantans. In quā cum ipse & plures secum, sacros artus de mausoleis leuaturi, conuenissent; mirū dictū, sensere cuncti inestimabilis odoris suauitate totam domum repente completam. Quj dissimilis odorem omnibus, quæ in terris vel natura vel arte fiunt, clarum cælestis cuiusdam præsentia dedit indi- cium. Itā enim omniū, qui aderāt, mentes magis quā corpora ineffabili iucūditate immutauerat; vt velut in ecclasi positi, & aliarū rerum obliti, tantū ibi manendi de- lectatione tenerētur. Nec dubium, quin ipse tunc fuerit in medio multorū fidelium, in suo nomine congregatorū, qui paucis quondam discipulis tantā suæ visionis dulce- dinem præbuit, vt primus eorū diceret; Domine, bonū est nos hīc esse. Nec erat incon- gruum, vt eorum meritis odoris fragrantia testimonium daret; cum quibus Apostolus dicit; Christi enim bonus odor sumus Deo. Erant autē in eodē loco aliorum quoque membra sanctorū, in sarcophagis honeste recōditorum, maxime Episcoporū ciui- tatis illius. Ex quibus tunc simul cū beati Liborij mēbra de tumba leuata, in feretro locāda componebātur, prædictus odor nunquā defuit: quō minus dubitaretur illi operi ministerium præbuisse, quo cœpto, inchoauit: quo finito, non diutiū mansit.

Math. 17.

2. Cor. 2.

*Vide odorē
sacris re-
liquijs.*

*Cap. 9.
Cæca reci-
pit lumen.*

Dum hæc in templo agerentur, foris quoq; aliud signū eadem contigit hora. Nam mulier quædam ab annis plurimis cæca, in conspectu populi, qui satis frequē pro fo- ribus stabat; interuentu ipsius, cuius corpus interius ad efferendum parabatur, lumen recepit. Et quoniam eius tam prioris ærumnæ, quā nouæ sanitatis omnes ferē, qui aderant, testes erant; ad eō multitudinis animos res gesta commouit; vt omnes simul in laudem Dei, elata in excelsum voce, prorumperent. Quod audientes qui cum Epi- scopo erant intra clausas oratorij ianuas, statimq; miraculo quolibet populū in tan- tæ gratulationis clamorem excitatum intelligentes; & ipsi pro viribus diuinæ pietati gratias agere, ac præ gaudio flere cœperunt. Cumque suas vtrinque voces, qui intus & foris erant, recognoscerent; vno omnes affectu mirabiliter inspirati, in tantum erupē- replantum, vt vix quisquam continere lachrymas posset. Sed Episcopus videns can- tum diuinæ laudis fletu exigente intermissum, cœpit rursum antiphonas & psalmos sanctorum gloria congruos cū Clero psallere: atque itā confusæ multitudinis cla- morem compefcuit. In ipso verō momēto, priusquā illud sacratissimum corpus de ecclesia, in qua sumptū est, efferretur, etiā tertio signo eius declarata sunt merita. De-

*Dæmonia-
cus sanatur.*

niq; vir quidam horribiliter longo tempore vexatus à dæmonio, & multis iam fama- tātā miserā factus notissimus, quippē qui per multas ecclesias & monasteria ductus, nusquam suæ remediū calamitatis accepit: tandem cum matre propria veniens ad ec- clesiam, in qua sacer ille thesaurus adhuc inter sacerdotū manus habebatur, cōfessim itā purgatus est; vt ne signum quidem vltra talis pertulerit passionis. Tum verō an- tistes, nē quam nuncijs memoratis moram faceret, eodem die venerandum illud cor- pus cum omni reuerentia suis & sacerdotū manibus deportari fecit in urbem, ad prin- cipalem suæ sedis ecclesiam; vt hoc ibi coram populo his, qui accepturi erant, honori- ficē cōmendaret. Comitabantur verō, nec vsquam deerant, velut præsentis Dei virtu- tis, sanctum suum mirificantis, indicia. Nam vbi primum ecclesia, quam diximus, il- latum est; ingressus pariter quidam claudus vtroque pede, & multis in hac debilitate detentus annis; mox vt caput ad orandum inclinauit, recepit integram sanitatem.

*Claudo re-
dit vsus pe-
dum.*

*Cap. 10.
Mutus lo-
quitur.*

Transacto deindē paruo diei spatio, mutus quidam, diuino inutilis linguæ dam- natū silentio, subito sibi vocis organa sentiens restaurata; omnipotentis Dei miseri- cordiam; eiusque confessoris & pontificis Liborij patrocinium plano coram omni- bus sermone laudabat. Sed cum itā coruscantibus supernæ gratiæ beneficijs celebra- rimus ageretur dies; postremō maiori quoque miraculo nouum fidelibus gaudium; noua data est materia gratulandi. Licet enim omnia Deo sint a quē facilia; magis ta- men solemus mirari, cum dantur noua & nunquā habita; quā cum amissa restau- rantur. Hic eadem rursus fiunt, quæ naturali ordine prius facta fuerant; ibi mira Dei virtus tribuit, quod natura negauit. Vir quidā ab ortu natiuitatis in tantū à genibus deorsum debilitatus, vt tibiæ cum pedibus arefacta; graciles & contorta; omnem am- bulandi vsum penitus denegarent; in prædicta ecclesia ante venerāda S. Liborij pigno- ra deportatus est; atq; ilicō viuaci vigore nervis venisq; infuso; & dissolutis ante com- pagibus solidatis; flecto gressu cœpit incedere. Quo cognito, fit ingens admirantis at- que gratulantis populi circa eum concursus. Certatim omnibus videre cupientibus; quod

*Reforma-
tur gressus
ab vtero
ambulare
nescienti.*

quod paulò antè nunquam se visuros arbitrabantur. Neq; enim velut infirmis aut tubantibus vestigijs gradiebatur; sed coram omnibus, qui cum nunquam antea fanis terram plantis tetigisse nouerant; celeri motu currens & exiliens, Christo Domino eiusq; sancto confessori gratias ferebat; Agebat hoc nimirum ipse per successorem Apostolorum, qui per ipsos quondam Apostolos eodem modo claudum à natiuitate, simili gratia sanari cōcessit. His ita gestis, cum inclinata iam die Dominica noctis appropinquaret exordium, præcepit Episcopus Clerum omnem ad vigiliarum solēnia maturius conuenire, vt his statim peractis, primo diluculo præfatis nuncijs optatum munus accipientibus, redeundi ad patriā opportunitas optata daretur. Conuenit aut pariter laicorū grandis numerus, quos ostensa priori die miracula ad q̄renda sanctorum pignorū patrocinia ingenti delectatione inuitauerant. Cumq; propè finito matutinæ laudis officio, auroræ ortus illucesceret, lux lucis & fons luminis illuminauit ciuem vr̄bis eiusdem, qui cæcus genitus, vsq; in diem illum coæuam sibi eam miseriam tolerabat. Sed qui in Euangelio legitur per semetipsum hominem à pœna simili liberatū, hunc quoque per electum membrū suum à tenebris diurnæ noctis eripiens, ignotam prius lucem videre concessit.

Astor. 7.

Cæcus à natiuitate videtur. Iohan. 9.

Cap. 11.

Dæmon ab obsesso pelitur.

Campanæ omnes pulsanur iam olim. S. Crucis vexilla.

Cap. 12.

Videanti. qui populū deuotionē erga Sanctos.

Exhortatio Episcopi ad populū.

Eadem hora eodemq; in loco, id est, in ecclesia coram Clero diuina carmina concinente, multisq; alijs fidelibus aspicientibus, arreptus quidā à dæmonio, vexari miserimè cœpit. Diū namq; ab eo torqueri antè, solebat; sed tum interuentu eiusdem cōfessoris, expulso hoste nequissimo, sospitatem mentis recepit; nec deindè vllum in se larualis phātasmat̄is sensit horrorem. Itā illius dici exordio geminata lætitia cælitus illustrato, infinitam populi multitudinem sexūs vtriusq; atq; omnis conditionis & ætatis, tam ex ea regione, quā ex vicinis vr̄bibus tantorum signorū latè circumuolans fama contraxit. Celebratis verò Missarū solennijs, accelerabat Episcopus sanctū illud corpus his, qui ad patriam secūm delaturi erant, commēdare, ipsumq; cum honore debito ex vr̄be deducere; antequā adueniens turbarum immensitas, eorum iter impediret. Ornatur itaq; clerus omnis, sacerdotalibus & ecclesiasticis indumētis, eleuatoq; feretro sanctorum pignorum in humeros sacerdotū, sonantibus quoq; signis omnium per vr̄bem ecclesiarum, ac præcuntibus, qui sanctæ ac viuificæ Crucis vexilla, sanctorumq; Euangeliorum libros & sacras reliquias in aureis argenteisq; recōditijs cum aromatibus præferebant, deducitur cum ingenti cunctorum veneratione, cum psalmis, hymnis & antiphonis in oratorium S. Vincentij, situm iuxta portam vr̄bis, per quam egressuri erant. Prosequēbatur autem maxima multitudo plebis; sed non minor ibidem obuiauit, quæ signorum rumore audito, vndiq̄e confluebat.

Tum verò nō leuis oritur contra præsulē populi querimonia, clamantibus plurimis, magni se patrocinij tuitione priuari, ablato à se corpore tanti cōfessoris, cuius intercessione solerent ab omni aduersitate muniri. Hoc suæ regionis vnicūm post Deum fuisse tutamen, hunc honorē maximum, hanc gloriā singularem. Timere se meritò posse, nē translatis eius venerandis artibus, pariter nominis eius in breui veneratio memoriaq; neglecta, indignos eos ipsius interuētū apud Dominū faceret. Arbitrari sese, pastoris potius officio cōuenire, sanctorum pignora ad munimentū gregis sibi committi vnde cūq; adquirere, quā eorum, quæ haberent, preciosissima quæq; in alias mittere nationes. Cōmotus aliquantum his vocibus antistes, & maxime lamentantis turbæ acclamatione, tandem factō silentio, populū in eadem ecclesia S. Vincentij ita breuiter allocutus est; Nō est, inquiens, æquum, fratres, quenquā vestrū putare, me intantum aut cōmissæ mihi sollicitudinis, aut vestræ simul meæq; salutis oblitum, vt hæc nostri perpetua patroni pignora sine certa ratione ex hoc loco transferri permitterem. Si enim, cum apud nos sanctorū corpora Deo miserante satis abundēt, illi populo, qui nupè ad fidem vocatus, & eorum aut parū, aut nihil penitus habens, à nobis huius suæ necessitatis solatium humiliter postulat, omninò assensum præbere dedignamur, fatendum est, nos Euangelici Apostoliciq; præcepti contemptores, contra ius charitatis fraternæ, claudere à fratribus viscera nostra. Absit verò hic error procul à cordibus vestris, vt putetis electos Dei iam cum ipso regnantes, ibi tantum, vbi corporaliter eorum habentur reliquias, intercessionis suæ præstare beneficium posse. Quin potius credendum, eius patrocinium in hac ecclesia, quā in carne positus fideliter rexit, & in qua finem vitæ mortalis accepit, omnibus piè quaxētibus in perpetuum non defuturam. In illo enim populo, nouiter ad Deum conuerso, novos sibi seruitores & veneratores acquirere, ad quos corporali præsentia suorum pignorum accedet.

Rom. 13. cederet: sed à vobis spiritalis eius protectio nunquam recedet. Sciendum quoque, quòd serenissimus Imperator id ipsum fieri præcepit. Cuius quicumq; potestati resistit, Dei nimirum ordinationi resistit. Præterea luce clarius ostensum est, Dei pariter & huius ipsius sancti patroni nostri Liborij placere voluntati, vt ad illam, in qua cum summo cunctorum desiderio expectatur, regione adueniat. Quod si non ita esset, ab inchoato heri istius translationis exordio, vsque ad hanc horam tanta nequaquam miracula coruscaret. Cum enim placatus potius, quam iratus, Deus dona caelestia largiatur, quisnam existimare potest, quòd si hoc opere offenderetur, tantis illud signorum beneficij illustrasset: Quocirca fratres ab hac intentione desistite, nè diuinæ dispositioni comprobemini palam resistere voluisse.

Cap. 13.

Cum his & multis alijs admonitionibus, & maximè Dei nutu sedata plebis commotio quiesceret, præcepit pontifex eos, qui per totum biduum, à varijs debilitatibus, seu ab immundis spiritibus liberati fuerat, in vnū congregatos, ad conspectum multitudinis nouiter aduenientis adducere, vt eorū omnem & pristina calamitatis, & nouæ reparationis historiam pandens, diuinam clementiam faceret ab omnibus vnanimiter collaudari. Vbi primum verò populus coadunatum illud recens sanatorum agmen adspexit, & quos nudius tertius diuersis passionibus affectos, iam tunc sanissimos esse cognouit, subito ex omni parte infinitæ multitudinis vox magna gratulationis exoritur. Nec datur vllus Episcopum loquentem audiendi locus, sed nemine tacente, nemine alium expectante, pro se quisque, qua poterat, Deum voce laudabat.

Immensæ Deo laudes & grates ob morbos curatos reduntur à populo.

Paderbornensibus datur corpus S. Liborij.

Cumque etiam clerus, Episcopo incipientē hymnū, Te Deum laudamus, & quædam alia tantæ lætitiæ conuenientia decantaret, immensæ illius iubilationis sonus, inextinguibili supernæ laudis delectatione, in longum diei spatium protelatus est. Quo tandem finito, aduocatis Baduradi sæpè memoratis Episcopi missis, beatæ memoriæ Aldricus antistes præciosissima illa, quæ supra diximus, pignora coram omni Clero & populo commendauit sub obtestatione grauissima, vt eū digno semper honore tractarentur, nec eis vnquam omnis reuerentia cultus ecclesiastici à quolibet Episcopo Paderbornensi & Clero suo quolibet tempore subtraheretur. Dehinc inter vtriusque ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet & præfate Paderbornensis congregationis firmata charitate perpetuæ fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. Quos tamē vna cum multitudine extra ciuitatem aliquadiū profecutus, cum paucis suorum redijt: quoniam à tam glorioso comitatu vix quisquam nisi inuitus separabatur.

Cap. 14.

Et illi quidē, annuente perspicua Dei clementia, voti sui se compotes effectos summo perere gratulantes, kalendis Maij ab vrbe Cenomanica profecti, cum omni studio ad patriam festinare contendunt. Cuius itineris gloriam ac lætitiā quis dignè valeat enarrare? opportunum tamen credimus, viam omnem celeri stylo percurrere, annotatis tantum locis, in quibus præcipua sunt, eademq; certissima gesta miracula. Nam omnia, quæ sacrum illud iter caelesti quodam lumine illustrarunt, ne illorum quidem aliquis, qui præsentis fuerunt, dicere aut memoria potuit retinere. Illis itaq; proficiscentibus, prædicta die iuxta locum, vulgò Pontleuua nominatum, securus eorum quidam ex familia, pertinere ad seruitium ecclesiæ ipsius S. Liborij, quem & sensum audiendi, & sermonis vsus nunquam habuisse magna pars populi nouerat, dominū suū vt sui miseretur, quia voce nō poterat, gemitu & lachrymis precabatur. Cumq; crebrò caput inclinatum, expansa manus, leuati modò ad caelum, modò ad sacrum feretrum oculi, fati internum eius affectum indicaret, nec iam præ lassitudine sequi longius posset, tandem à poena secum genita relaxatus, eo primum die cœpit & audiri loquens, & loquentes audire.

Surdi & muti sanatio.

Cap. 15.

Indè cœpto itinere properantes, cum ad ecclesiam quandam, S. Medardi memoria celebrem, propinquarent, ibi in via quædam mulier à longa infirmitate curata est, quam per omne tempus vitæ suæ prius tolerasse ferebatur. De qua id quantum incredibile, multorum tamen relatione asserbatur, quòd nullū alimenti genus vnquam gustare potuerit: sed cochlearū more, suo victitans succo, noxio tantum aleretur humore. Quod nequaquam affirmantes, id tantū dicimus, quòd verū nonimus, eam ad sancti Liborij patrocinium & venisse languidam, & redisse incolumem. Hinc ad basilicam S. Symphorij aduenientes ibidem sunt recepti hospitio, vbi noctem illam splendor pietatis diuinæ clarè fecit illucescere. Nam foemina quædam, diu malignorum spirituum se vexantiū, miserabile receptaculū facta, ad sæpè memorati confessoris implorandum pro ea suffragium, in ecclesiam adducta est. Finitis verò matutinis ex more

Item morbidæ mulieris. * Symphorijani putolendum.

vigilijs,

vigilijs, cum facta iam silentio plebs egressura esset, coepit subito horrorem dire vocis emittere; ululare, mugire, sibilare, ac per omnia belluinos imitari sonos: ut nisi praesens videretur, nihil minus quam mulier putaretur. Terrore cuncti, qui aderant, simul & miseratione permoti, teneri eam, & ad sanctorum feretrum propius invitam trahi, fecerunt. Deinde vnanimis pro illa preces fundentes, citò exaudiri meruerunt. Denique statim à dæmonum violentia liberata; sobria mente ac voce gratias & laudes Deo referens, euntes eos inde diu cum populo sequebatur.

Exinde festinato cursu monasterio S. Sulpitij appropinquantes, vident eminus adduci mendicum quendam in vehiculo, qui miserabiliter toto penè contractus corpore fuit. Nam & pollices vtriusque manus erant in medium palmae incuruati, & reliqui digiti supra ipsos pollices extensi; ita eos stringebant, ut vngues radicibus palmarum haerent infixi. Reliquum corpus adeò velut in sphaeram rotundatum videbat, ut genua pectori, summitates pedum renibus iungerentur. Sed quanto eius fuerat miserabilior poena; tanto secuta est mirabilior medicina. Interuenientibus namque beati Liborij meritis, cuius opem integra fide implorabat, erectis in momento ac sanatis omnibus simul membris, prosilijt de paruo illo, quo vehabatur, curriculo, & celeriter ad loculum sacri corporis currens, ibidem se in terram prostrauit, cum ingenti affectu corde simul & ore gratias agens. Mirari populus, Deumque sublati in caelum vocibus collaudare, quòd non videretur circa viuentem hominem amplioris virtutis opus sub caelo fieri potuisse. Pergentes verò ad ecclesiam quandam, in honore S. Petri Apostoli dedicatam; subito dæmoniacum, qui eos aliquandiu sequebatur, conspiciunt in via media cecidisse. Ad quem erigendum cum aliqui ex plebe cucurrissent; iacuit omnino sine motu aliquo, ut ab omnibus esse mortuus non dubitaretur. Post paululum tamen erectus ad sedendum, coepit sensim quasi reuiuiscere; & sequenti die coram populo laudes Saluatori suo rependens, sanus apparuit; acsi nunquam à maligno spiritu fuerit vexatus.

Proinde cum tantis diuinorum beneficiorum donis, velut caelestibus radijs micantem viam laeti carperent; quae plus quotidie gaudij, quam fatigationis offerret: contigit, ut ad ciuitatem Carnotensem, satis amplam & populosam, deuenirent. Cuius vrbis Episcopus, Bernuinus nomine, iam tunc atate simul & moribus valde maturus; collectis ex more presbyteris; eo tempore synodum in vrbe celebrabat. Cui cum nunciatum esset, qualiter & quo ordine assumptum Cenomanis corpus praefati confessoris, suae iam vrbi appropinquaret; statim cum omni illo sacro sacerdotum collegio, totoque Clero suo & populo processit in eius occursum, atque cum hymnis & canticis spiritalibus illud deuotissime extra urbem longè progressus excepit; iussitque ut deferretur per viam, quae ducit extra muros ciuitatis ad oratorium, in quo sancti Caruini membra requiescunt. Cumque cateruatim sequenti grandi multitudine ad memoratum locum honorifice duceretur, sonantibus signis per totam urbem, & populo excelsa ad Deum voce proclamante, ut tantam sibi gratam esse deuotionem Dominus declararet, multa ibidem per beatum Liborium fieri signa concessit. Ex quibus vnum praecipuum hoc loco memorare decreuimus; reliqua, vitandae prolixitatis causa, intermittentes. Puella, quae ab exordio miserandae natiuitatis, membris ferè omnibus curua, & velut in globum contorta, nunquam vel mentum à genibus leuare, vel plantas pedum à femoribus remouere valebat, ante loculum sanctorum cinerum deportata; singulorum officia membrorum cum integerrima sanitate suscepit. Sed quoniam breuis illa vestis, qua contractum prius corpusculum facile tegebatur, iam erectè stanti non sufficiebat, quin ex parte nuda videretur; citissime fideles quiq; (nam in ecclesia coram Clero & populo res gesta est) raptis foeminarum facitergulis eam contexere, donec allatis sibi congruis indumentis vestiretur. Ibi ergò cum spiritali latitia noctem illam transigentes, primo manè optatum iter arripuere

Appropinquantes verò Parisiensi ciuitati, quam fluentis Sequanae cinctam, Iulius Caesar condidisse, & ob similitudinem insulae maris, Ilius nominata, Parisius fertur appellasse: simili modo ab Episcopo loci illius Ercanrado nomine, omniq; populo, vltra pontem stratum super memoratum fluiuium occurrente, suscepti, & in principalem eiusdem vrbs ecclesiam deducti sunt. Erat autem dies Dominica. Cumq; Missarum ibidem solennia celebrarentur, deducebatur in medium foemina quaedam, de vicinia eiusdem loci oriunda; quae cum poena grauissima nata; in eadem praeteritum vitae suae tempus exegerat. Muta enim à natiuitate & surda; tercio insuper tormento

Liberatur
dæmoniaci

Cap. 16.

Miserabiliter contractus, sanatus mirabiliter.

Dæmoniacus penè mortuus curatur.

Cap. 17.

Bernuinus Episc. Carnotens.

Et hic nota praefata deuotionem.

Mirè contracta restituitur.

Facitergulis, pro fudarijs.

Cap. 18. Isthuc nescio vnde habeat Author de etymologia ciuitatis Parisiensis.

Ercanradus Episc. Parisiensis.

subiacebat, q̄ videlicet mente capta, spiritu agitabatur immundo. Hęc in conspectu omnium ad Missas circumstantium vehementer anxiani cœpit & sudare. postremo in pavimentum ruit. Post celebrationem mysteriorum ad mansionem deportata est, & ad vesperum rursus in ecclesiam delata. Ibi cum multis alijs pernoctabat. Statimq; ut albescente polo roseum aurorę iubar illuxit, lux magnę misericordię Dei, effugatis ab ea tenebrosis tortoribus, & auditus illi & vocis facultatem condonavit. Obstupęte magnoperę cūcti, qui aderant, videntes eam in vno momento ita immutatam, ut & vacua esset à dæmone, quo plena erat, & plenum haberet membrorum officium, quo vacua fuerat.

Cap. 19.

Euntibus autem illis iuxta montem martyri, cum essent iam à dextro latere insigne monasterij sancti Dionysij, occurrit ibidem seruulus quidam de familia eiusdem martyris, quem & sacerdotēs & cuiuscunq; gradus clerici, nec non & plures laici, conestati sunt ab exordio natiuitatis suę auditus pariter & loquelę vsu penitus caruisse. Qui appropinquans sacris pignoribus, vbi vidit plures è populo pro sua quęq; facultate in honorem sancti Liborij, ad eius loculum iactare munuscula, & ipse quoq; satis deuotę aliquid de vestimētis proprijs illuc offerre nitēbatur. Cuius extemplō adiuuis intercessione, apertis auribus & soluto vinculo linguę, in eadem hora Dei laudes canentem populum audiuit, & ipse simul cum gaudio decantauit. Interim festinantes cum summa alacritate iter suum peragere, deuenērunt ad villam, quę Gebaloha nominatur. Vbi sicut antea multorum fides & deuotio remunerata, sic etiam quorūdam contumacia digna est correptione castigata. Contigit nanq; ibidem, ut fluuiolū quendam transire deberent. Quō cum proximarent, hi qui sanctum feretrum portabant, quatuor, qui posteriora eius tenebant cornua, recto tramite per vadum aquę incedere volebant. Totidem autem reliqui, priorem eius partem gestantes in humeris, pontem magis, per quem transirent, querere se velle asserebant, in tam præclaro sanctorum obsequio calcamenta sua madefacere dedignantēs. Qui cum ad pontem quendam venissent, & venerabilem thesaurum secum portantes, super eum transiret, repente rupto sub pedibus eorum instrumēto ligno, omnes illi, qui in vado vel pedes intingere aspernabantur, ex alto cadentes, in profundo flumine submersi sunt. meritis tamen sanctorum artuum, quos ferebāt, illę ei eas ēre illud verō sacratissimū feretrum ab ea parte, qua ab illis, antequam caderent, tenebatur, mirum dictū, nemine cōtingente, in aere pendebat immobile, donc accurrere possent, q̄ illud accipientes, ad vadum reueherent; atq; ita demum, cœpto itinere, perreuerunt.

Surdus & mutus, auditus & loquitur.

Puniantur parum religiosi.

Nota rem miram.

Cap. 20.

Ex quo loco non longum iter emens, consuetum virtutis Dei testimonium ad cōprobanda merita electi sui videre meruerūt, Id ipsum tamē, quod factum est, quo appelletur nomine, non satis occurrit. Euentum fuisse dixerim? sed non solet res talis casu euenire. Miraculum nominem? sed id non magnoperę quisquam admiratur. Quis enim velut nouum miretur, quod sapius intuetur? mulier à dæmonio liberata est. Magna Dei pietas, magnum confessoris eius meritum, rem alibi raram, in illo itinere fecit esse vsitatam. Quę tamen mulier tunc à valde diuturna vexatione saluata, (nam quindecim annis ea laborauerat) haudquaquam ingrata suo extitit Saluatori. Cum enim esset de castello, quod Bauaca nominatur, non infimis orta natalibus, relicta patria & parentibus, Deo & sancto Liborio se, dum viueret, seruituram deuonit. Secuta quę sancta pignora vsque ad locum, in quo hætenus requiescūt, in eorum seruitio reliquum vite suę spatium transegit. Circa hæc eadem loca & alia plurima sunt in via ostensa miracula: sed nobis festinantes illos ad patriam stylo prosequētib; non vacat in singulis immorari.

Cap. 21.

Cum ad Rhenum fluuium peruenissent, erant in sancto illo comitatu prouinciarum occidentalium populi infinitę multitudinis, qui de longinquis locis illuc secuti, iam necessariō reuertī ad propria debuerunt. Occurrit verō nō minor mortalium numerus ex nationibus, orientalem eiusdem fluminis ripam incolentibus, & maxime Saxones nostri, quorum confinia non longē ab amne memorato distant. Ipsi enim nuper aduocati, audita tantorum famę signorum, gregatim ex suis vndique locis eō confluxere. Stabant igitur in vtroque litore turbę innumerabiles, diuerso nimis affectu sese inuicem contemplantēs. Siquidem suscepturis preciosum illum thesaurum quantum gratulationis & gaudij, dimissuris verō quantum moeroris & gemitus hora illa attulerit, quis vnquam exprimere poterit? Denique statim ut sancti corporis baiuli nauem introierunt, vniuersa plebs, quę diutius sequi non valebat, vnani-

Saxones dicit, quos nunc Vuestphalos vocant.

vnanimiter sese in terrā prosternens, cū ingenti gemitu & intenta supplicatione beati Liborij se patrocinio commendabat, testes quodammodo affectūs sui largos lachrymarū imbres effundens. Pari modo & hi, qui in citiore litore expectabant, terrā aduoluti, sacra pignora cum omni, quo poterāt, honore suscipientes, & gratias agentes Deo, lati cum laudibus deduxēre.

Vide hic rursus anti- quā deuotionem.

Igitur ingressi Saxoniam, prae nimia sibi obuiante turba vix gradū mouere poterant. Totis tamen nisibus iter accelerantes, tandem die tertio, id est, quinto Kalendarum Iuniarū, quo tunc sacra Pentecostes solennitas agebatur, ad desideratam diū Paderbornensem ecclesiam peruenerūt. A qua cum adhuc tribus distarent millibus, iuxta fluuiū quendam Hedraha vocatum, ob immensam multitudinē, quae vsq; ad memoratū locum sequi non poterat, in medio campo Missarū celebrare solennia. Quae ante-

Cap. 22.

quam sinrentur, in eodē loco quinq; pariter homines à varijs debilitatibus liberati, causam immense admirationis & laetitiae tantā Dei virtutem videnti populo praeberē. Insuper eadem hora in saepe memorata Paderbornensis monasterij ecclesia, cui talis gloria decus per tanta terrarum spatia afferebatur, contigit quoddā clarum valde miraculū, velut insigni praerogatio beati Liborij aduentū annuncians. Nam puer quidam, de eadē oriūduis parochia, qui à die natiuitatis suae surdus erat & mutus, ibidem auditum pariter percipere meruit & loquelam. Agebat hoc nimirum diuina dispositio, vt in die aduentūs ipsius tot signa coruscantia indicio essent, eundem locū ad hoc fuisse caelitūs electum, vt tāti confessoris corpore illustraretur. Quod cum innumeris vndiq; stipatū turbis, monasterio paulatim appropinquare coepisset, Episcopus qui-

V morbidi reualefcit.

dem nequibat occurrere, (nam apud palatium tunc morabatur) sed tamen Clerus omnis cum vniuersis ecclesiastici cultūs ornamentis processit obuiam, sequente populo, q; vel de longinquis venerat, vel ex eodē oppido & vicinis locis illuc ad audienda Missarum solennia in tanta festiuitate fuerat congregatus. Cūq; sibi nō paruo ab oppido intervallo vterq; populus, sequentiū videlicet venerabile corpus atq; excipientiū, obuiāisset, hi qui occurrerunt, ter cuncti simul solo prostrati, summa illud cum veneratione susceperunt. Cūq; Clerus in hymnis & confessionibus Deum benediceret,

Puer surdus & mutus curatur.

& spiritualium carminū melodiam, sanctorum laudi congruā, cōcineret, populus vero Kyrieleisō ingeminarē, cum ineffabili iubilo erectis ad Deū mētibus singulorū, nihil eius laude dulcius videbatur, ita vt in huius vitae exilio similitudinē quandā beatitudinis, quae in patria speratur, pregustasse videretur, de qua dicitur: Beati q; habitāt in domo tua Domine: in saecula saeculorū laudabunt te. Quē illis tantū diuinā laudis amorē, eius meritis credimus inspiratum, in cuius tūc exequiarū honorē fuerant cōgregati: quoniā & ipsius sola in caelis beatitudo, vita & gloria, non nisi laus Dei est, in cuius charitate perfecta ad tantū ipse sanctitatis culmen ascendit. Itaque cum sensim magis ac magis in altum sublatae populi voces attollererent, etiā circūquaq; gaudentium, psallentiū, Deo gratias agentiu & iubilantium illi in voce exultationis per totā viciniam sonitus intonaret, cū tali honore sacratissimū corpus in ecclesiam delatum, & in loco, in quo hactenus requiescit, collocatum est. Vbi quantis postmodū miraculis effulserit, quanta sanitarum dona praestiterit, alibi dicenda referuamus, hic praesenti libello terminum imponentes.

Ecclesia Paderbornensis olim monasterium.

Kyrieleisō

Psal. 82.

S. Liborij corpus in ecclesia Paderbornensi conditum.

Hac denique secundum tuum praesul venerande praerogatum, nostrumq; propositum de his, quae in translatione eius gesta sunt, non quidem vt voluimus, & tantae rei conueniebat, sed vt potuimus & scientia suppetebat, describere curauimus, non magnipendentes in sermonū qualitate reprehēdi, dum tantum integrē veritatis fide seruata, diuinae operationis insignia silentio regi nequaquam permitteremus. Nostri enim propositi necessitas admonet, vt in huiusmodi operibus nobis iniunctis id omnimodis elaboremus, vt si nos imperitia facit ineloquentes, deuotio tamē ostendat obediētes. Nec infructuoso nos sudore laborasse confidimus, si alicuius lectoris haec in manus sumere dignantis, vel cuiuscūq; audientis animus in laudē largitoris tantarū virtutū fuerit excitatus. Merito nāq; laudes illi & grates toto corde referimus, qui nos inter tot erūnas saeculi laborantes, tantorū patronorū suffragijs tueri dignatur. Qui per visibiles corporū curationes ad internā nos animarū salutē querendā puocantes, spem tribuunt per eorum exēpla & intercessiōes pueniendi illuc ex hac valle lachrymarū, vbi absterget Deus omnē lachrymā ab oculis sanctorum. Quōd qui iam sanctum suum Liborium feliciter perduxit, nos quoq; licet indignos, eius interuentu venire concedat: qui in Trinitate perfecta vnus & verus viuus & gloriatur Deus per infinita saecula, Amen.

Cap. 23.

Sanctorum patronia nostuentur

Apoc. 7.

VITA S. BIRGITTÆ VIDVÆ, MVLTIS REVELATIONIBVS CLARISSIMAE. HABETVR HAEC VITA

etiam typis iam pridem excusa, & suffragatur ei Bulla Canonizationis eius vt vocant, edita à Bonifacio eius nominis IX. Pontifice maximo. Stylum in gratiam Lectoris mutauit passim F. Laur. Surius, omiſſis nonnunquam breuitatis studio, quæ ad historiam non multum attinerent. adiectoque ad marginem capitū numero.

Julij 23.
Cap. 1.
Illustratus
profapia.



Tob. 14.

Gen. 12.

Eccle. 44.

Pietas pa-
tris eius.

Eccle. 5.

Cap. 2.
Mater eius
multas con-
dit sacres-
des.

Euadit mor-
tem.

Visio sacr.
dotis.

Cap. 3.

SANTA Birgitta in regno Suediæ orta, non tantum parentes habuit nobiles, & tum coram Deo, tum coram mundo potentes, verumetiam auos, proauos & abauos excellentes, legem Dei feruenter inquirentes, & peregrinationes suscipientes, ceteraq; pia opera auidissime exequentes. Omnis enim cognatio eius & stirps, vti etiã beati Tobia, bonam vitam & sanctam conuersationem sectata est: adeo vt tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus terram, accepti & chari essent. Auus enim, & proauus atq; abauus patris eius, exemplo Abrahæ & aliorum priscorum patrum, peregrini esse voluerunt in hoc mundo, tametsi erant diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Nam sacramenta Domini passionis ad memoriam reuocantes, peregrè profecti sunt in ciuitatem sanctam Hierusalem, & ad alia loca, quæ Christus Iesus corporali præsentia sua illustrauit, idque non sine multo sumptu & labore. Eorum autem & exitum & introitum Dominus misericorditer custodiuit. Sed & pater S. Birgittæ Birgerus, in illorum vestigijs insitens, multa loca Sanctorum, putã S. Iacobi, & alia circa mare Australe, deuotissime inuisit, paratus etiam vterius proficisci ad terram sanctam, nisi Apostolicæ sedis consilio, propter causas rationi consentaneas, retardatus fuisset. Idem ipse singulis sextis ferijs peccata sua solebat humiliter confiteri, sæpissime his vtens verbis: Itã me qualibet sexta feria comparare volo erga Deum, vt quicquid cæteris diebus ille mihi prestiterit, ferre equo animo possim. Memor erat sententiæ illius: Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Fecit consimiliter filius eius, quoad vixit, qui etiam post confessionem secretò acerrimis flagellis cadebat corpus suum, vt paratus in flagella, Christum flagellatum in suo glorificaret corpore, & cum vitijs & concupiscentijs iugiter crucifigeret carnem suam.

Mater quoq; beatæ Birgittæ, Sigridis, nobilis & religiosa fuit, cuius pater sanguine regio procreatus erat, diligens decorem domus Dei, itã vt multas extruxerit ecclesias, & pro magnificentia sua amplissimos redditus dotis nomine eis assignarit. Porro ingressus beatæ Birgittæ spõsã Christi, in hunc mundum, fuit quasi diluculum diuinitus præparatus. Nam cum adhuc materno gestaretur vtero, accidit vt mater eius in quodam maris sinu naufragium faceret: cumq; multi vtriusq; sexus submergerentur, Dux regni Hēricus, frater regis Suediæ, videns illam in periculo versari, modis omnibus, quibus potuit, eam viuam ad litus perduxit. Eadem autē nocte illi adstitit persona quædam, veste luculenta induta, dixitq; ad eam: Salua euasisti propter bonum illud quod habes in vtero. Itaq; nutri illud pro Dei amore, sciens specialiter id tibi diuinitus esse donatum. Nata autem puella, sacerdos quidam vicinioris ecclesiæ, vitæ integre & prouectæ ætatis, qui postea factus est Episcopus * Aboënsis in Suedia, inter orandum nocte vidit nubem lucidam, & in nube sedentem virginem, in manu sua librum habentem. Admirans igitur, audiuit vocem eiusmodi: Nata est Birgero filia, cuius vox mirabilis toto orbe audietur. Ab ipso autem ortu suo triennium ferè permansit eilinguis infantula, nec vllum edidit sermonem. Sub finem verò triennij tam perfecte loqui coepit, vt iam non infantium balbutientium more, sed contra eius ætatis vsu, absolute sua verba enunciaret.

Interea mater eius elemosynis & bonis operibus semper dedita, morbo corripitur, & aliquot diebus antè prædicit obitum suum. Cumq; iam esset migratura à corpore, maritum suum & alios eius morte dolentes, itã compellat: **Quid itã doletis? Sufficiat**

ciat hucusq; prorogasse vitam. Grulari potius mihi debetis, quod ad potentiorē Dominum euocata sum. Indē accitis filijs, cum omnibus valedixisset, obdormiuit in Domino. Ea defuncta, filiola eius Birgitta, à patre tradita est nutrienda materteræ suæ, matronæ insigni prudentia & religione. Et cum septennis ferè esset, vidit quodam tempore euigilans, e regione lectuli sui altare, & super illud Dominam indutam vestibus splendidis, & in manu ferètem coronam magni precij, ipsiq; dicentem: Birgitta, veni. Surgenti illi & ad aram properanti, dixit Domina: Visne habere coronam hanc? Illa annuente, imposuit eam capiti eius, ita vt sentiret puella caput suum tanquam circum quodam ambiri. Sed cum ad lectulū rediisset, visio illa disparuit, cuius tamen nunquam potuit obliuisci.

Deinde ad annum ætatis decimum accedens, instar purissimi lilij, totius honestatis candorem retinens, & à radice labentis mundi, ad cælestium pulchritudinem sese erigens, munditiam animi & corporis, ceu thesaurum absconditum cōseruabat. Abundauit in ea totius forma virtutis: sobrietas cum modestia, simplicitas cum verecundia, humilitas cum obedientia, iucunda conscientia, hilaris patientia, charitas indefessa. Decimo ætatis anno cum audiuisset in templo concionantem de passione Domini, nocte sequente vidit in somnis Christum, quasi eadem hora crucifixum, sibiq; dicentem: En vt excruciatum sum. Illa existimans eadem hora recens id factum, ait ad eum: Equis isthuc tibi fecit Domine? Christus respondit: Illi qui me contemnant, & charitatem meam negligunt. Tum illa ad se reuersa, vsque adeo fuit affecta erga passionem Christi, vt eius mysteria rarò sine lachrymis ad memoriam potuerit reuocare.

Cum duodennis iam esset, cum puellis suis cōtaneis acu pingebat ex serico & auro. Animo autem anxia, ita vt operi intendere non posset, oculos mentis ad Deum referebat. Ecce autem visa est illi assidere virgo quedam ignota, eam in eo opere adiuuans. Interrogata deinde, quanam ipsi assedisset, respondit se neminem vidisse. At matertera eius opus, quod tum præ manibus habuerat, non ab illa tam tenera puella, sed diuinitus potius elaboratum considerans, inter reliquias fideliter illud asseruabat. Nocte autem quadam eadem matertera in eius cubiculum latenter ingressa, inuenit eam, ceteris dormientibus, in silentio clamante lectum suum, nudam adorare cum lachrymis Crucifixum. Suspiciata autem, leuitate quadam puellari id fieri, virga eam percussit, sed ea in minutissimas partes dissiliit. Admirans igitur, dicit ad eam: Quid egisti Birgitta? Num te docuerunt foeminae preces quasdam fallaces? Illa cum lachrymis respondit: Non, domina mea: sed surrexi è lecto, vt laudarem eum, qui me semper solet adiuuare. Sciscitante matertera, quis ille esset, respondit: Crucifixus est, quem pridem conspexi. Ab illo ergo die matertera eius coepit eam & amare impensius, & amplius venerari.

Non diu post ludens cum puellis Birgitta, vidit diabolum tanquam centimanum & centipedem, horrida specie deformem. Perterrita igitur, cucurrit ad lectulum suum, humiliter se Christo commendans. Vbi rursus ei terer ille spiritus apprensus: Nil possum, inquit, nisi permittat Crucifixus. Animaduertens autem pater eius, quod virgo iam nubilis, & tanta morum elegantia spectabilis, ceu altera quadam Esther, posset generi suo magnum adferre splendorem & dignitatem, & instar parui fontis in maximum excrescens fluuium, plurimis aquis redundare: ipsam licet summo perè in virginitatis proposito permanere cupientem, cuidam adolescenti diuiti, illustri, cordato & prudenti despondit. Erat is Nericia princeps, & Vlpho de Vlphaso dicebatur. Vixerunt autem pariter annum vnum & eo amplius pudicè, & continenter, obnixè rogantes Deum, vt si ei visum esset, vt inter se concumberent, talem ex ijs prolem procrearet, quæ ipsius seruitio manciparetur. Postquam autem iam inter se conuenerant, semper in Quadragesima, & diebus solennibus & qualibet sexta feria, à carnali copula abstinebant, & tum illa clam induta vestibus, extra lectum cubabat in pauimento vel asere, tapete instrato. Porrò ambo simul, adspirante spiritu Dei, matrimonium honestissime coluerunt, & tam Deo quam hominibus chari, in venusta morū integritate & maturitate foelices habuere progressus. Filios suos Birgitta cum multa sollicitudine & diligentia educavit: eosque ceu aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, vnguibus castigationis & sanæ doctrinæ, radijs Solis iustitiæ obiecit, adhibens illis præceptores, qui eos in fide & moribus instituerent. Apparuit quandoque ei beatissimus Iohannes Baptista, & ait: Quandoquidem

Visio S. Birgittæ adhuc septennis.

Cap. 4.

Nota virtutes teneræ puellæ.

Alia visio eius, de passione Domini.

Cap. 5.

Orat nocte coram Crucifixo.

Cap. 6.

Horridissima specie ei apparet facta.

Esther 10.

Nubit Vlphoni, & toto anno viuunt continenter.

Deut. 32.

Apparet ei S. Iohannes Baptista.

plorasti, quod filius tuus offendit me, non ieiunans in vigilia festi mei, malleſq; eum ſeruire mihi, quam regia dignitate excellere: idcirco ego illum adiuuabo, & armis meis communiā.

Cap. 7.

Loca, leuitates, & perſonas omnes, vnde poſſet aliqua nota adſpergi, declinabat, ſemperq; honeſtas ancillas & comites omni morum honeſtate cōſpicuos apud ſe retinebat, nē cuiquam obtreſtandi occaſionem praberet. Et quia à primis ætatis inijs diuina erat gratia perfuſa, diuini amoris calore incenſa, ſuſum toto deſiderio ſerebatur in Deum, & ardentiffimè cæleſtia meditabatur. Nē quam autem ſatanæ tentandi materiā offerret, ab ocio valdè abhorruit, boniſq; & ſanctis exercitijs ſemper vacās, nunc operi manuum incumbebat cum famulabus ſuis, diuino cultui & proximo. rum vtilitati profuturo: nunc Sanctorum vitas & Sacra Biblia, quæ Gotthico idiomate ſibi ſcribenda curarat, legebat: nunc eccleſiarum limina terens, diuinis officijs libenter intererat: nec pepercit labori corporis: ſed ſuaue & delectabile illi videbatur, pedibus ſuis ire ad monaſteria & eccleſias cathedrales, tum ob indulgentias ſiue condonationes promerendas, tum ob audiendas doctorum virorum conciones. Ieiunijs quoque, vigilijs & orationibus ſeruenter intentā, docebat carnem parere ſpiritui: atque à delicatioribus eſcis abſtinens, ea cautione id faciebat, vt à marito & alijs non aduerteretur. Semper autem interdiū ad corpus, & noctū, abſente marito, veſte dura & aſpera utebatur.

Cap. 8.

Pauperum
magnam
curam
gerit.

Iam verò: infirmorum, morbidorum & pauperum felix & inclita mater, eleemoſynas largiffimas præſtabat. Habebat autem magnas ades pauperibus deputatas, & in ijs ſceminas, quæ illorum miniſterio ſemper occuparentur. Sed & ipſa cum multa humilitate non rarò illis inferuebat, lauans & oſculans pedes eorum. Quandoque in partu ea periculose laborante, matrona quædam, alba ſerica veſte induta, ad eam ingrediebatur, ſingula iacentis membra palpans. Cumque rursus egrederetur, illa mox ſine vlla difficultate peperit. Non dubium, quin beata Maria fuerit, ſicut poſtea per reuelationem ei indicauit. Maritus autem eius, cum eſſet vir ſtrenuus & potens, & ex præcipuis Regis conſiliarijs, perſpecta tanta eius virtute & gratia, illius ſacris & ſalutaribus delectabatur ſermonibus & conſilijs, ita vt ſperis omnibus mundanæ vanitatis honoribus & pompis, ab aula Regis prorsus ſe ſubduceret, ſuauique iugo Domini ſe totum humiliter ſubmittens, quicquid eſſet æquum & iuſtum, quicquid bonis moribus & honeſtati conſentaneum, in gloriam & laudem Dei efficaciter exequi conaretur. Didicit verò etiam à beata Birgitta legere preces horarias beatiffimæ matris Dei. Ambo igitur ſeruentes ſpiritui, vt

Suſcipit
peregri-
nationes
cum marito
ad ſanctum
Iacobum.

ſe liberius à mundi vanitatibus expedirent, è patria ſua exeuntes, non ſine multo labore & ſumptu, profeſti ſunt in Hiſpaniam ad ſanctum Iacobum: & tandem multis peragratis Sanctorum locis, cum iam eſſent in reditu, maritus cœpit apud Atrebatē peſſimè valere. Increſcente autem morbo, cum beatam Birgittam magni tenèrent angores, ſanctus Dionyſius eam conſolatus eſt, ita dicens: Ego ſum Dionyſius, qui ab vrbe Roma in Gallias veni prædicare verbum Dei. Tu ergo, quæ me ſingulariter amas, ſcire debes, per te velle Deum mundo innotefcere, teque meæ curæ commiſſam eſſe. Cuius rei hoc habebis ſignum, quod maritus tuus iam non morietur. Tranſactis indè aliquot eo in loco diebus, vidit in ſpiritu admiranda quædam, quemadmodum itura eſſet Romam, & Hieroſolymam, & è corpore migratura.

S. Dionyſi
uſci appa-
ret Atreba-
ti.

Cap. 9.

Maritus eius
ſit mona-
chus.

Ad ſecundas
nuptias non
acceſſit vſa
conſilio Apo-
ſtolicò.

1. Cor. ca. 7.

1. Tim. 5.
Raptæ in
cæſti loqui-
tur Dominus.

Rursus aliquot euolutis diebus, cum vir eius conualuiſſet, in patriam redierunt, ipſaque Deo dilecta maritum ſuum ſanctis adhortationibus perfecte ad Deum conuertit, & tum precibus, tum exemplis ſuis, eum ad perpetuæ continentię ſtudium perduxit. Cumque votum ille nuncupāſſet Deo, quod monaſticum vellet viuendi genus arripere, ſeptem liberis procreatis, diu ſeruata continentia, in monaſterio Aluaſtra Ordinis Ciſtertiensis, feliciter à vita deceſſit. Eo deſuncto, ſancta & pudica matrona ad ſecundas nuptias non acceſſit, ſed mundo valefaciens, facultatibus ſuis inter proles diſtributis, habitum mutauit & vitam. Feciſſet autē maiora, niſi peregrinari diuinitus iuſſa fuiſſet. Vidiffes deindè eam ceu alteram Iudith, virtute caſtutatis in ſignē, erga proximum officioſam, piam erga Deum: & quæadmodum Apoſtolus docet, quaſi verè viduam & deſolatam, ſpem ſuam in Domino collocantem. Cum autē quodam tēpore plus ſatis anxia eſſet de mutatiōe ſtatūs ſui, vt Deo liberius ſeruire poſſet, mētis ecſtaſin paſſa, vidit nubem luculentam, & ex nube vocem audiuit ipſi

ipsi dicentem: Ego sum Dominus Deus tuus, qui tecum loqui volo. Tu eris spōsa mea & canalis meus. Ijs verbis illa territa, quōd putaret illusionem esse, rursus audiuit: Noli timere, quia ego sum conditor omnium, nō impostor: nec tua vnius causa loquor, sed propter salutem multorum. Audi ergō, quē ego loquor, & deindē refer ea ad magistrum Matthiam, qui sua experientia didicit spiritum veritatis ab illusionis spiritu discernere. Is Matthias vir magna fuit in Deum deuotione, & Sacrae Theologiae Doctor celebris: cui beata Birgitta in omnibus obediuit, quemadmodum ei tum diuinitus praeceptum fuit, cum caelestes primūm coepit habere reuelationes. Specialiter vero à Deo hoc illa obtinuit, vt annis viginti octo, postquam eas habuit reuelationes, * nunquam profecta fuerit, nunquam alicubi haerit, nisi mouente eam spiritu Dei.

Instituit autem nouum monasticum ordinem, & regulam siue Canonem ex ore Christi ipsi dictantis conscripsit, quem monialibus coenobij * Vuatstena seruandum reliquit. Interim propter subitariam vitæ mutationem & habitus vtilitatem à nobilibus, vitam eius non alio, quàm infaniae loco habentibus, contemnebatur: sed eis illa dicebat: Nec propter vos incēpi, nec propter vos desistam. Stauti autem apud animū meum verba tolerare. Orate vos pro me, vt perseuerare queam. Non enim ignorabat, sicut malam conscientiam non sanant laudantium praecōnia, ita nec bonam laedere vituperatium conuicia.

Triginta annis ab obitu mariti vestibus lineis vsa non est, nisi duntaxat in capitis velaminibus: sed aspero induta cilicio, carnem suam ex cruciabat. Ante lectum suum iusserat poni tapetum simplex vel pallium, & puluinar exiguum pro capite: sicque cubare solebat. Interrogata, quānam sic somnum capere posset in acerrimis frigoribus, quibus ea regiones Aquilonares rigent: respondit: Ego tantum intrā me sentio ardorem & frigus externum me non valdē anxiam habeat. Noctē & die toties flecebat genu, toties sese inclinabat & osculabatur humum, vel Venias, vt dici solet, capiebat, vt mirum videretur tam nobilem & tenerā habitudinis matronam, tantos posse perferre labores. Sextis ferijs consuevit ardentis cerei guttas ignitas in nudam deponere carnem, ita vt vulnerum vestigia relinquerentur: quā si sua sponte ante proximā sextam feriam non nihil curata essent, suis vnguibus ea lacerans, renouabat, ne corpus eius vulnerum afflictione vacaret. Habebat etiā nodosa & asperrima ligamina ad corpus suum, quae neq; noctū, neque interdiū à se remouit. Qualibet sexta feria propter Saluatoris passionem, & felleum potum, ipsi in cruce oblatum, amarissimā herbam quandam ore retinebat: id quē itidem alijs quoque diebus faciebat, si quod verbum inconsiderate protulisset. Et quia spreta mundanae latitiae falsa pulchritudine cor eius intolerabili mortis Christi acerbitate perfusum erat, non absurdē dicere potuit cū illa praecleara vidua Noemi: Nē vocetis me pulchram, sed vocate me amarā: quia amaritudine valdē repleuit me omnipotens. Obedientiae verō studiosa fuit, vt nullibi esse voluerit sine praeceptore. In facienda confessione humilimam, & ad quæuis ipsi iniuncta promptissimam, se exhibuit. Ab infantia pro more habuit, singulis sextis ferijs confiteri peccata sua. Sed saepius, eo minimē contenta, quolibet die crebrō confitebatur etiam leuicula verba & cogitationes.

Ex obedientia in domibus, monasterio Aluastræ vicinis & contiguis morabatur, non vt aboleret canonē monasticum illis fratribus praescriptum, nec vt nouum quendam morem, cū ipsa esset mulier, eō inueheret: sed vt opus Dei mirabile eo in loco certius ostenderetur. In illo monasterio frater quidam fuit ex ijs, quos conuersos vocant, Gerekinus nomine, qui intrā annos quadraginta nunquam ē monasterio egressus fuit: sed die ac nocte vacans orationi, eam à Domino obtinuit gratiam, vt nouem Angelorum ordines inter orandum quasi continenter videret, & sub eleuatione sacrae hostiae Christum in forma pueruli crebrō conspiceret. Cū autē sancta Birgitta ad illud venisset monasterium, illic moratura, hic frater secūm tacitus admirabatur, dicens: Cur hac domina in monachorum coenobio residet, contra regulam nostram, nouam huc consuetudinem introducēs? Raptus igitur in spiritu, audiuit vocem perspicuē dicentem: Noli mirari, est enim haec amica Dei, atq; ea causa huc venit, vt in hoc monte flores colligat, è quibus multi etiam ultra mare & in extremis orbis partibus degentes, accipient medicinam: putā Teutones, & alij in Oriente, Occidente & ad Austrum morantes. Itā in hac reuelatione id praesignificatū est, multos in hisce locis viciantes, aduersum exitialia peccatorum vulnera habituros medicinam,

Doctor Matthias spiritalis pater S. Birgittae.

* for. nuf. quam
Cap. 10.
Nouus ordo S. Birgittae ex ore Christi institutus.

Cap. 11.
Cilicio vtitur.

Non sentit frigus praenimiam ardore

Venias capere, est terra deo sculari, loco pedu Iesu Christi

Attende eius humilitate.

Ruth. 1.

Crebrō confitetur.

Cap. 12.

Gerekinus conuersus sanctissimus.

ex dictis S. Birgittæ. Præterea vidit idem frater beatam Birgittam à terra eleuatam, & de ore eius tanquam flumen egrediens, dictum que est illi: Hæc mulier à finibus terre veniens, innumeris gentibus propinabit sapientiam. Et hoc erit tibi signi loco, quod ipsa indicabit tibi finem vitæ tuæ, exultabisque in aduentu & sermonibus eius, citius, que complebitur desiderium tuum, vt non videas mala, quæ illaturus est Deus domui istæ.

Cap. 13.
Visiones cuiusdam, de reuelationibus S. Birgittæ dubitantis.

Prior quidam Dominicanus agrè poterat adduci, vt beatæ Birgittæ reuelationibus fidem commodaret. Is cum aliquando dormiret, vidit ignem à cælo in eam descendere. Stupefactus ea visione, putabat sibi illudi. Itaque expergiscens, rursus obdormiuit, viditque ignem illum ex ore S. Birgittæ procedentem, multos circa illam stantes in flammam: simulque audiuit vocem dicentem: Quis prohibere potest ignem hunc, vt non egrediatur? Ego enim Deus omnipotens mittam hunc ignem ad Orientem & Occidentem, ad Aquilonem & Austrum, & incendet multos. Deinceps Prior ille credidit reuelationibus S. Birgittæ, easque tuèdas suscepit. De hoc fratre habetur sexto libro Reuelationum, cap. 30. Duobus ferè expletis annis in memorato monasterio, Christus iussit S. Birgittam laborem peregrinationis suscipere, dicens ei familiariter: Proficiscere Romam. illic enim plateæ sunt auro instratæ, & Sanctorum sanguine rubricatæ: ibi propter condonationes siue indulgentias, quas promouere Sancti, compendio veniuntur ad cælum. Manebis autem illic, donec videas summum Pontificem & Imperatorem. Quod quidem ita euenit, misitque illa vtrique reuelationes, ipsi præstitas de reformatione Ecclesiæ. Hoc Christi mandato accepto, illa vtpotè obedientissima, non vllas necit moras, sed confestim aures parat auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, totamque se intus colligit, vt mandatum conficiat imperantis. Egressa igitur è paterno solo, crebris est diuinitus recreata consolationibus: cumque Romam venisset, cum summa deuotione & multa assiduitate, nec mediocri labore visitabat loca Sanctorum, nec facile colloquia miscens inter eundem, nisi fortè interrogata esset: & tunc verbis paucissimis sciſcitanti fatisciens.

Nota Christi de Roma test. moniũ.

Paupertas voluntaria ad eò illi cordi fuit, vt omnes res & facultates suas cuidam commiserit dispensandas: & quoties aliquid inde vel in suos, vel aliorum vsus cõuertere cuperet, cum summa humilitate in nomine Iesu Christi, id sibi dari petierit, petiit, de ac si nunquam eas possedisset. Solebat autè in eiusmodi petèdis rebus aliorum, quicum ipsa erant, vtilitatem suæ anteferre, & propriam celans indigentiam, orare vtilibus præberentur necessaria, licet ipsa plus cæteris ijs careret: vt sic proximum pure diligeret propter Deum. Post annos aliquot iussa est ire Neapolim & in Siciliam. Fecit illa, & à Regina Sicilia multisque nobilibus, propter vitæ eius sanctitatem & sinceritatem multis est aucta & honorata muneribus & xenijs. Visitatis autem in Sicilia Sanctorum locis, Neapolim venit: vbi moram fecit, & instar purissimi speculi, virtutum de se exempla omnibus exhibuit, intrepideque doctos pariter atque indoctos verbis & exemplis ad viam veritatis reuocauit. Reuelationem quoque ipsi factam de populo ciuitatis illius, ipsi Archiepiscopo, doctis Theologis, aliisque & clericis & laicis sapientibus exponens, absque metu quemlibet reprehendit.

Cap. 14.
Studii paupertatis eius

Post annos multos, cum Romæ solito feruentius Sanctorum limina visitasset, vni genitus Dei filius præcepit, vt iret Hierosolymam. Prætexente illa incommodam valetudinem & ætatem, Dominus respondit: Equis est naturæ conditor? Ego addam tibi vires: ego prospiciam de itinere: ego te ducam & reducam in locum hunc: denique ego ero custos tuus, quocumque perrexeris: nec dimittam, donec compleuero vniuersam, quæ dixi. Veniens Hierosolymam, mira audiuit à Domino de statu regnorum, de natiuitate & passione eius, & de vocatione gentium. Dicebat ei Dominus: Verba mea diu ante annunciari & audiri debent, sed postea sequentur opera & signa. Noueris itaque, multos necdum editos in hanc lucem, hæc mea verba recepturos: & beati, qui audient verba mea, & ea opere perficient. Post obitum tuum complures verba mea, quæ tu scripsisti, complectentur, & suauiter ea sequentur. Porro loca omnia, in quibus pro peccatoribus pati voluit Dominus Iesus, ipsa deuotissime visitauit, & quasi coluiba nidificans in foraminibus petrarum, suauitatem vulnerum eius meruit degustare, & diuinis intrinsecus visitationibus crebrius illustrari. Antè autem, quam à Hierosolyma rediret, febri & stomachi infirmitate laborare cœpit, eamque terra & mari inter labores & dolores suos integrum annum patientissime tulit.

Honorificè accipitur in Sicilia.

Cap. 15.
Ir Hierosolymam.

Vbi Romam redijt, morbus increuit, & tandem illius vi extincta est. Cumque immineret

Visitat facta loca Hierosolymis. Cant. 2.

Cap. 16.

Vbi Romam redijt, morbus increuit, & tandem illius vi extincta est. Cumque immineret

DE S. BIRGITTA VIDVA.

357

Christus ei
apparet, an-
te mortem.

mineret dies obitus eius, quinque diebus ante rursus apparuit ei Dominus Iesus ante altare, quod erat in conclavi eius, iucunda facie & corporeis eius oculis visibilem se præbens, eique dicens: Ego sic tibi feci, quemadmodum sponsus solet, subducens se ad tempus à sponsa, ut ardentius desideretur. Non visitavi te diuinis consolationibus, quandoquidem tempus erat, quo probareris. At nunc probata fatis, procede & prepara te. Tempus est enim, ut sicut pollicitus tibi sum, coram altari meo monastico habitum induaris, & deinceps non modò sponsa mea, sed etiam monacha & mater in Vvaesthena voceris. Attamen scias te corpus hic Romæ posituram, donèc veniat ad locum ipsi præparatum. Placet Deo, parcere tibi à laboribus: accipit ille voluntatem tuam pro opere. Deindè subiunxit. Quinto ab hinc die manè sumptis sacramentis, conuocata singulatim, quas tibi indicavi, & facienda illis demanda: atque ita venias ad monasterium tuum, id est, in gaudium meum, porrò corpus tuum in Vvaesthena reponetur. Ex his licet animaduerti, beatam Birgittam, dum esset in corpore, monastico habitu indutam non fuisse, neque illius Ordinis vestibus, quem ipsa instituit: sed emigrantem à corpore, à Christo sponso suo accepisse eiusmodi habitum incorruptibilem, sicut ei in reuelationibus suis promiserat. Itaque pingitur plerumque, ut monacha, nam tamen non fuit monacha, dum vixit, attamen petijt veste eiusmodi indui, qua nunc vtuntur moniales Ordinis eius: sed eam accepit in cælis.

Deus bonâ
voluntate
pro opere
accipit.

Die quinto sub ortum Solis Christus iterum ei apparens, consolabatur eam. Missa celebrata, perceptisque sacramentis, inter manus earum, quas paulò ante diximus, spiritum reddidit piissimo Saluatori, quem toto pectore amauit. O ineffabilem increatam Sapientiæ benignitatem, eos, qui ipsam concupiscunt, præoccupantem, ut illis prior hilariter se ostendat. O sponsæ singularem gloriam, quam sponsus in fide & misericordia sibi desponsans, verbis blandissimis consolatur. O foelicem nimium, quæ post multiplices toleratos labores & miseras, iam sedet in pulchritudine pacis & requie opulenta. Foelix obitus eius, non obsecris argumentis declaratus est. Quidam enim bonæ & venerabilis vitæ vidit quendam parari lectum, & à personis albis vestibus indutis, ferri in sublime dictumque est illi admiranti: persona illa, quam in hoc lecto vides, spòsa Dei est, quæ in mundo contempta à multis, nunc transit de morte in vitam sempiternam. Eadem autem hora illa obiit: porrò corpus eius summa cum laude ad monasterium S. Laurentij deportatum, & illic honorificè sepultum est. Obijt anno salutis milleesimo, tricentesimo, septuagesimo tertio, decimo Kalendas Augusti. Anno autem proximo, post multorum miraculorum coruscationem, & ossium eius subitè & vltra modum mirabilem purgationem & exiccationem, ab vrbe Romana, multis in itinere editis miraculis, ad monasterium Vvaesthena duodecimo Iulij die cum ingenti populorum frequentia & gaudio per sanctam filiam eius Catharinam translata est: vbi miris signis & multiuarijs miraculis eam ornat & illustrat Dominus Iesus Christus. Præstatur cæcis visus, surdis reformatur auditus, muti loquuntur, paralyticis membra dissoluta confirmantur: & vt paucis multa expediam, morbidi omnes, deuotè illic Christum inuocantes, meritis sponsæ eius ab eo curantur.

Cap. 17.
Felicissimè
exit è corpo-
re.
Cap. 6.

Translatio
eius.
Multa ad e-
ius sepul-
chrum mi-
racula.

Id vbi innotuit Imperatori, Regibus, Reginis, prælatis & principibus, multisque diuerfarum nationum Christianis, apud Romanos Pontifices multis modis institerunt, vt dominam Birgittam in Sanctorum album referrent. Denique ad Bonifacium nonnum re tota deuoluta, cum is de integro accuratissimè in eius vitam & gesta inquiri curasset, ad eius canonizationem, vt vocant, solenniter se contulit, eamque de consilio & consensu Cardinalium & prælatorum omnium, qui tum in Romana curia erant, Sanctorum catalogo adscripsit. Multum & operæ & sumptuum posuerat filia eius Catharina, id vt fieret. Cum sint autem innumera ferè miracula beatissimæ Birgittæ, nos pauca duntaxat annotabimus.

Cap. 18.

Sanctorum
Catalogo
adscribitur.

Eunte illa ab Vrbe Roma Hierosolymam, Latinus de Vrfinis, pro magna ergo illa beneuolentia & animi deuotione, extra Urbem non paruo itineris spatio illam deduxit. Postquam ergò Hierosolyma Romam redijt, cum confessario suo domino Petro adiit eius domini Latini ædes: cumque in eas ingressa esset, manu ad nares admota, nihil loquebatur. Sciscitanti illi ab eius confessario, quid id sibi vellet, quòd nihil loquens, manum naribus applicaret, responsum est: Te non tam rectè animo constitutum inuenit, atque tum eras, cum à te recederet. Admiratus dominus Latinus: Ecce quid ait, designauit? Verum quidem est, habuisse me litem cum quibusdam subditis meis. Ibat quandoque sancta Birgitta Romæ cum filia sua Catharina, & Petro Confessario

Cap. 19.

Valdè ei
fecerent pec-
cato mortifi-
fero obno-
xij.
Cap. 20.

fessario, & Magno capellano, ad cedes Iordani de Marino, volēs inuifere eiusdem Ior-
dani vxorem. Qua prefente, tantum ex actibus eius fenfit foetorē, vt vix ferre poffet.
Admirante ea caufa non mediocriter Magno, quem diximus, & è Petro confeffario
eius percontante, quid hoc fibi veller, illa refpondit: Nōueris pro certo, quandoctiq;
coram ea quispiā mortifero peccato obnoxius fiat, aut loquitur fruadulēter, aut quo
Deus offendatur, illam mox fenfire immodicum fulphuris foetorem.

Simon qui-
dam Theo-
logus arro-
gans, malè
de ea fenfit

Cū effet fancta Birgitta in quadam Cypri vrbe, poftquā Hierofolyma difcef-
fit, fama illic ferebatur, habere eam certas quafdā reuelationes de Cypri regno. Erant
autem per id tempus in Cypri monachi quidam, carnales potiūs quā fpituales,
inflati fcientia, & fpiritu vani. Ij irridebant & detrahebant beata Birgitta tanquā
fieri non poffet, vt per eiufmodi sublimes reuelationes loqueretur Deus cum indocta
muliercula. In ijs erat frater Simon Dominicanus Confeffarius Principis Antiochia
patruī regis Cypri, qui in fignis Theologus & aftronomus habebatur, nōfsetque cur-
fus fiderum & planetarum, fed non feipfū. Is venit ad domum, in qua erat beata
Birgitta, non rectè tum corpore valens. Cœpit itaque fub ouina fpecie verbis blandis
eam compellare, prefente domino Alphonfo & alijs, percontari que ex ea de gratia
cæleftium vifionum, quas ipfa diuinitus haberet. Illa columbina fimplicitate refpon-
dit ad omnia humiliter & fimpliciter: fed interim tantum foetorem ab illo profi-
cisci fenfiens, vt vix poffet fubfiftere. Ipfa quoque, fi quod verbum incautè pronu-
lifset, aut parū aliquid in factis fuis fulariter fe geflifset, ingentem foetorem
fulphureum & magnam amaritudinem in lingua & gutture fuo fenfiebat. qua
de re mira habentur in Reuelationibus eius. Prædixit verò mala euentura Cy-
pro & eius ciuitati Famaguffa propter hominum peccata, quæ etiam poftèa, vt
prædixerat, acciderant.

Sancta præ-
dicit mala
euentura
Cypro.

Cap. 21.

Arguit quē-
dam furū.

Circa Ecclefiam Lateranenfem Romæ multos confpiciens peregrinos, vnum ex
ijs vidit tenentem puerum infirma valetudine, & elemofynam petentem: dixitque
ei: Quomodò aufus es tenere hunc puerum, quem tu, cū fit Iudæi filius, furatus es?
Audiens ille, obftupuit, & in pedes fe coniecit: retentus eft autem à circumftantibus
peregrinis, dixitque palām cunctis audientibus, puerum illum Iudæum eſſe, & fe eū
furatum eſſe. Accepit autem S. Birgitta puerum ad fe, curauitque eum baptizari an-
no Chrifti millefimo tricentefimo fexagefimo. In regno Suediæ militem quendam
ad dæmone liberauit. Dicebatur is Iohānes Scoberinus, & apud Ofrogothos iuri di-
cundo vel fontibus puniendis præerat. Roganti S. Birgitta pro Algotio Domini-
ca, Sacræ Theologiæ Doctore, qui iam fenex orbitate oculorum & calculi dolori-
bus cruciabatur, refpōfum eft: Ille ftella micans eft, nec expedit fanitate corporis ob-
fcurari animam eius. Certauit, & curfum consummauit: nihil iam fupereft, niſi vt
me coronetur. Et hoc tibi fignum erit, quod ab hac hora mitefcant dolores corporis
eius. Iam enim anima eius prorsus ardet igne diuini amoris. Non diū poſt Theolo-
gus ille è vita deceſſit.

Cap. 22.

Lachrymæ
Sanctorum
moleſtiſſi-
mæ damo-
nibus funt.

Proficiſcēs quandoq; S. Birgitta à Rege Suediæ, venit ad Aluaſtra monaſterium, in-
uenitq; filium ſuum, quem iam pridem egrotum reliquerat, in extremis agentē. Luxit
igitur multū, q̄ tam diuturno ille morbo teneretur, verita propter peccata paren-
tum eius id accidere. Apparuit autem ei fatan, & dixit: Quorſum artinet, mulier, tan-
tam te vim lachrymarum profundere: Debilitas ea re aciem oculorū, nec quicquam
efficis. Putas tum lachrymas tuas cælos penetraturas? Eadem hora etiam Chriſtus in
humana ſpecie ei appārens, dixit: Huius pueri agritudo non habet cauſam ſuam ex
aſtris, vt ſtulti aſſerunt, neq; à peccatis eius, fed ab ipſius naturæ conditione, & vt inſi-
gnis in cælis coronetur. Sicut ergo hucufquē dictus eſt Benedictus filius Vlphonis:
itā deinceps vocabitur filius lachrymarum & precum, & ego iam finem imponam
angoribus eius. Quinto indè die auditus eſt velut auium cantus gratiſſimus inter pue-
ri lectum & parietem, & ille feliciffimè deceſſit. Dictum eſt autem diuinitus ad S. Bir-
gittam: En, quid poſſint lachrymæ. Iam filius lachrymarum abiit ad requiem incon-
cuſſam & incommutabilem. Poſteſt hinc animaduerti, quā moleſta ſint damoni
lachrymæ piorum, ex diuino amore naſcentes.

Felix obitus
filij eius.

Cap. 23.
Ictatur
obitu filie
ſuæ.

Habuit S. Birgitta filiam ſanctimoniam in monaſterio Riſabergenſi. Eam vt di-
dicit ex nuncio mortuam, mirificè lætabatur, atque ad Dominum: O Domine Ieſu
Chriſte, o amor meus: benedictus tu ſis, quod vocaſti eam antè, quā mundi laqueis
implicaretur, moxque ſurgens, & ad templum abiens, tam multas fudit lachrymas &
traxit

traxit alta suspiria, vt etiam ab alijs possit audiri. Dicebantque illi: En, vt plorat filiam suam. Apparuit autem ei Christus, & ait: Mulier, quid ita ploras? Etsi enim ego noui omnia, tamen harum lachrymarum causam ex te audire volo. Respondit illa: Equidem non ex causa ploro Domine, quod filia mea defuncta est: immo verò ea causa lator potius. Si enim vixisset diutius, maior illi apud te ratio reddenda fuisset. Sed hoc lugeo, quod eam non institui conuenienter mandatis tuis, & quod superbia exempli ei de me præbui, & remissius correxi peccantem. Christus ait: Illa mater, quæ plorat peccata filia suæ, & instituit eam, quâ tum optimè nouit, ea vera est mater charitatis & lachrymarum: & filia eius, filia Dei est propter matrem. Quæ autem genitrix letatur filiam suam ita se comparare, vt solent mundo dedita, nec curat eam bonis moribus imbuere, sed id solum expetit, vt fiat sublimis in mundo, ea non germana mater est, sed nouerca. Itaque propter charitatem & bonam voluntatem tuam, filia tua compendioso pertinet ad coronam.

Attēdo, quæ sit vera & germana mater, & quæ non.

Puer quidam decem annorum, nomine Esau, nepos magni Senescalli Reginae Siciliae Neapoli degentis in aula eiusdem Reginae, hectica febre adeo fuit cōfectus & exhaustus, vt medici de tota vita eius planè desperarent. Eum mater eius Lapa duxit ad S. Birgittam, suppliciter eam deprecans, vt puerum tegeret, aut saltem Crucis signum illi imprimeret. Mox illa puerum tetigit, & tactum repentina salus consecuta est.

Cap. 24.

Febrem hecticam pellicit a puero.

Carolus miles, filius S. Birgittæ, Romam è Suedia venit anno salutis millesimo, tricentesimo, sexagesimo quinto. Vt aut in aedes fuit ingressus, in quibus mater degebat, ascendente eo in solariū, mater eius è cubiculo suo egrediens, vidit illum corpore non rectè valere. Tetigit itaque pectus eius, quædam orationis verba pronuncians. Confestim ille multum vomuit sanguinem, ita vt loqui non posset, & restitutus est. Diu post proficiscens S. Birgitta Hierosolymam, prædixit se vnum præcipuè charum è comitibus suis perdituram, & ita factum est. Cum enim venisset Neapolim, filius eius Carolus, miles egregius, morbo correptus, desijt esse in humanis. Etsi autem præsens mori æti aderat mater eius, nihil tamē se loco mouit, & neque voces querulas, neque lachrymas fudit: sed cum admirabili patientia & reuerentia gratias agebat Deo. Et licet tū Regina ipsa, tum multi principes regni Neapolitani, & ciuitatis primarij viri ac foemine omnes cum multo planctu corpus eius ad sepulcrum cum illa deducerent, nunquam tamē illa fleuit, sed cum gratiarum actione animam eius commendabat Deo. Fuit ea res non mediocri admirationi tam Reginae, quam cæteris omnibus, quod tam tam in principe foemina animi fortitudinem viderent.

Sanæ filii.

Carolus insignis filius eius decessit.

Cum autem S. Birgitta esset Hierosolymis, quidam Franciscanus, qui erat Reginae Cypri à secretis, & cum S. Birgitta à Famagusta Hierosolymam venerat, humiliter eam rogauit, vt pro ipso Dominum instanter deprecaretur, quod certum ipsi modum & rationem ei seruiendi ostenderet. Oranti S. Birgittæ Christus apparuit, & quadam ei reuelatione ostendit, quemadmodum S. Franciscus regulam à Christo acceperit, & vt primi fratres eius secundum illam sanctè vixerint: atque vt diabolus eum Ordinem contaminari: postremò quæ gloria maneat in cælis regulæ illi conuenienter viuentes, quæ poena apud inferos illam transgredientes. Hanc reuelationem cum ille Franciscanus legisset, mox vbi Famagustam redijt, libros, vasa argentea & aurea, aliaque ornamenta & pecunias suas distribuit pauperibus, deinceps victurus in sanctæ regulæ obseruantia. Dicebatur is Antonius ab Aragonia: postea verò factus est guardianus in Bethleem. Habetur hæc reuelatio lib. 7. ca. 20. & eam obtulit dominus Alphonsus Gregorio XI.

Cap. 25.

Reuelatio diuinitus ei facta.

Fuit etiam beatæ Birgittæ diuinitus facta reuelatio de Abbate quodam, cuius erat vita exitiosa. Dixit ei Christus minitabundus: Tu Abba debebas esse speculum monachorum, & ecce caput es meretricum. Debebas esse exemplum pauperum & sustentator inopum: & ecce ex eleemosynis magnum te dominum exhibes, potius habitans in castris, quam in monasterijs. Debebas esse doctor & verus pater fratrum tuorum: & tu illorum seductor es & vitricus. Te in delicijs & pompa versante, illi afflictum murmurant tota die. Sed nisi resipueris, deponam te de castris, & nec cum infimis fratribus tuis habebis consortium, nec ad patriam, vt tibi persuades, redibis tuam, nec in meam ingredieris. Ea quidem omnia postea illi Abbati ita acciderunt.

Cap. 26.

Habetur in Extranagantibus reuelatio. Cap. 105.

Attendant hunc locum Abbates huius temporis.

Cum esset S. Birgitta Roma, & quodam die propter stationem loca sacra inuiferet, casu inuenit pauperulam foeminam quandam è regno Noruegiæ, ante sanctæ Præcedis ecclesiam solam iacentem propè, semimortuam. Miserta illius, coepit tentare ex multa

Cap. 27.

Eius in foemina pau-

perculā hu-
manitas. ex multa humilitate, num posset ipsa eam ferre ad domum hospitem S. Antonij. Sed cum non posset, voluit vt dominus Magnus capellanus eius iuuaret ipsam: atque ita ambo simul deportarunt eam ad domum illam: cuius præfecto numeravit ipsa pecuniam, vt curam eius gereret. Interim crebrò visitabat eam, donèc eatenus curata fuit, vt iam commodè posset per urbem ingredi. Postea verò cum eam acciuisset ad ades suas, re accuratiùs inuestigata, comperit eam laborare morbo comitiali. Ita, quæ feruenter pro illa orans, ad collum eius piè admouit aliquot lapillos sui, vt vocant, rosarij, ad quos preces dicere solebat. Mox illa reualuit, nec vnquam eum morbum deinceps experta est, licèt diù superuixerit.

Eccē Vim
Rosarij et
granorū ei
quæ hæreti-
ci abieciunt.
Cap. 28.

Monachus quidam Ordinis Cisterciensis, Robertus nomine, præ immo- dica abstinentia mente captus fuit. Oranti pro eo S. Birgitta Christus apparuit, dicens: Homo ductus fuit, vt vincam coleret: cumque haberet multorum dierum negotium, ille ductus cupiditate pecuniarum, vt totam mercedem vno die lucraretur, vsque adeo se confecit labore, vt in morbum grauem incideret. Tum verò magna ex parte vinea mansit inculta, cum ille laborem nullum ferre posset. Sed opere cessante, merces ei perfoluta non est. Ità accidit huic Roberto, pro quo tu deprecaris: veruntamen hoc incommodo is liberabitur, quod etiam euēnit postea.

Cap. 29.
Pellit da-
mones ab
obsculis.

Habuit S. Birgitta cursorem, quem dæmon arripuit, sed ea illum ab homine profulgauit. Item in regno Suediæ foeminam dæmoniacam ipsi oblatam, pristina sanitati, cum ei Crucis signum impressisset, restituit. Expulit etiam dæmonem è domo quadam, multa aduentantibus responsa dantem, multaque prædicere conantem, hominumque res occultas prodentem. Quidam per incantationes capiebat multos pisces. Eum S. Birgitta hortabatur, vt à nefario opere cessaret. Sed ille spernens admonitiones eius, mortuus inuentus est. Fratrem etiam quandam, ex dæmonis tentatione immo- dica fame laborantem, curauit. Capellanum suum, grauissimè dolentem caput, tactu suo sanauit. Multa alia & in vita, & in morte, quæ propè fidem excedere videntur, operata est, quæ vitanda prolixitatis causa omittimus.

Cap. 30.

Multis è
Suedia ve-
niunt Ro-
mam pro-
pter con-
donationes.

Cum S. Birgitta Romæ degeret, Catharina filia eius permissu mariti, qui erat cognatus regis Suediæ, Romam venit anno Christi millesimo, tricentesimo, quinquagesimo, qui lubileus erat. Venere cum illa multæ aliarum dominarum & peregrinarum & familia magna, vt possent Romæ obtinere condonationes siue Indulgentias lubilei, & vt ipsa matrem suam intuiserent. Cum iam aliquid lapsus esset temporis, nec Romæ quicquam sciretur de obitu mariti Catharinæ, S. Birgitta diuinitus edocita de morte eius, ait ad illam: Filia mea, noueris è vita excessisse virum tuum, Elige igitur aut secundas nuptias, aut viduitatem. Sic enim diuinitus iussa erat tentare illam, quod esset iuuenicula nobilis, potens & opulenta in regno Suediæ. Illa, audiens obisse maritum, viduitatè complexa, statuit matri adharere.

DE S. CHRISTINA VIRGINE ET MARTYRE EX ADONIS TREVIREN. ARCHIEPISCOPI MARTYROLOGIO.

Iulij 24.
Christina,
iubente pa-
tre, dirè ca-
ditur.



Torretur
ignibus.

Multis sup-
plicijs affi-
citur.

Sagittis co-
fecta obit.

PVD Italiam in Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, natale S. Christinæ virginis: quæ in Christum credens, deos aureos Urbani patris sui præfecti contriuit, & pauperibus distribuit. Ob hoc, iubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onusta, in carcerem coniecta est.

Post hoc cum diutissime & crudelissime dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem proiecit. Cumque alligata rotæ, igni supposito, & fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentiliū interfecit. Iterum carceri tradita, Angelo visitante, sanata est & refecta.

Deinde cum magno saxi pondere in lacum Vulsinum iactata, Angelico præsidio liberata est. Quam successor patris eius Diò multis iterum supplicijs afflixit: sed orante illa, simulacrum Apollinis, quod Dion adorare videbatur, in fauillam subito redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conuersa sunt. Nouissime successor prædicti Iulianus, post fornicationem candentem, ubi quinque diebus illa permansit, post serpentes à venefico immixtos, sed Christi fide superatos, post abscissionem linguæ, sagittis eam cofigi præcepit: sicque martyrij cursum consummauit.

VITA